

INSTRUCTIO- NES TRES.

I. De facili methodo edocendi
Doctrinam Christianam : cui subne^ctitur
ejusdem Doctrinae Explicatio Brevis Car-
dinalis BELLARMINI.

II. Pro Pueris prim^o ad Pœni-
tentiae Sacramentum.

III. Pro ijsdem prim^o ad Eucha-
ristiæ Communionem admitrendis.

Q U A S

Ex SS. Pater. & D. N. Libri.
BENEDICTUS
~~minil:~~ **PAPA XIII.**

In Appendice Concilij Romani,
in Sacro Iancta Basilica Lateranensi celebrati,

Anno Universalis Jubilæi 1725. Ponti-

Presbyteri ficitus sui Anno I. curati.
Italicè edidit: Latinè redditæ.

Præfiguntur tria capita præfati
Concilij cum Instructionibus connexa.

LABACI, Formis J. G. Mayr, Incl. P.C.T.



PRÆFATIO.

Cum in omni re tradenda plurimum interfit, utrum hoc, an illo modo, aliquid doceas, tum verò hoc in Christiani populi institutione maximi momenti existimandum est. Observanda est enim audientium aetas, ingenium, mores, conditio, ut qui docendi munus exercet, omnia omnibus efficiatur, ut & omnes Christo lucifaciatur, & seipsum fidelem ministrum, & dispensatorem probare possit, ac veluti servus bonus & fidelis, dignus sit, qui super multa constituantur a Domino. Neque verò unius tantum generis, homines fidei sua commissos, esse arbitretur, ut prescripta quadam, & certa docendi formula erudire, atque ad veteram pietatem instituere eisque omnes fideles possit: sed cum alijs veluti modo geniti infantes sint, alijs in Christo adolescere incipient, nonnulli vero quodammodo confirmata sint aetate, necesse est diligenter considerare quibus lacte, quibus solidiore cibo opus sit, ac singulis ea doctrina alimenta præbere, quæ spiritum augeant, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filij



DEI, in virum perfectum, in mensuram atatis plenitudinis Christi. Id vero Apostolus in se ipso omnibus observandum indicavit, cum dixit se Graecu, & barbaris, sapientibus & insipientibus debitorem esse: ut videlicet intelligerent, qui ad hoc ministerium vocati sunt, ita in tradendis fidei mysterijs, in vita preceptu, doctrinam ad audientium sensum, atque intelligentiam accommodari oportere: ut cum eorum animos, qui exercitatos sensus habent, spirituali cibo expleverint, ne interim parvulos fame preire patientur, ut qui panem petant, & non sit, qui frangat eis. Neque vero cuiusquam studium in docendo retardari debet proportionata, quod interdum necesse fit auditorem eorum rerum preceptis instrui, quae leviores & humiliores videntur, ne sine molestia ab iuveniis solent, quorum animus in sublimium contemplatione versatur, ac conquiescit. Nam si ipsa aeterni Patris sapientia in terras descendit, ut in carnis nostra humilitate, cœlestis via precepta nobis traderet; quem non compellat caritas Christi, ut parvus fiat in medio fratrum suorum, & tanquam nutrix foveat filios suos; ita cupide proximorum salutem desideret, ut quod de seipso Apostolus testatur, eius velie non solum Evangelium Dei, sed etiam animam tradere. CATECHISM. ROMAN. IN PREFAT.

¶ ☀ ¶

Tit. I. De Summa Trinitate, & Fide Catholica.

CAPUT IV.

*Parochorum munera commemo-
rantur: Pueros Doctrinam Chri-
stianam edocendi methodus ex-
hibetur.*

In vigilant etiam Episcopi, ut Parochi propria, quæ sua sunt, munera exercant: plebem per se videlicet in Catholica Fide incessanter instruere, & Sacramentis reficere: quotidianas pro Populo ad DEUM preces, & orationes effundere; & laudabilis vitæ, ac conversationis exemplo, virtutibus & morum disciplina, omnibus prælucere, viamque salutis præmonstrare. Ad plebes quo circa suas Parochi, ceterique animalium Rectores, singulis saltē Domini- cis, Festisque diebus, qui de præcepto ob servari solent, de manè, post lectorum in Parochiali Missa Evangelium, sermonem brevem habeant, & facilem, auditorumque capacitiati aptum; vitia, quæ declinare, & vir-



tutes, quas sectari oporteat, denunciantes : Romano adhibito Catechismo, pro Parochis potissimum impresso. Horum verò pomidianā pueros, puellāsque à septennio, & supra, ad annum usque decimum quartum, propriam convocandos in Parochiam current ; eosque suo ordine, & loco per Ecclesiā dispositos, (maribus semper à foeminis separatis) fidei rudimentis, doctrināque Christianā ex libello . quem clar. mem. Cardinalis Bellarminus edidit, & fel. rec. Clemens Papa VIII. retinendum mandavit, sensim, & quā poterunt, planè imbuant ; unam semper, eandēmque docendi regulam sequentes, quā servanda hīc dabitur in Appendice. Puerorum verò parentes adhortari non omittantur, quos etiam adhortemur Nos, & admonemus, ut proprios Filios domi bonis moribus, verbis & exemplis instituant; atque ea, quā ad Christianam Doctrinam pertinent : sedulò edoceant, eadem crebrò, quā illos Parochi edocuerint, repetentes.

CAPUT V.

Rustici, & Adulti, quomodo in Fidei rudimentis instituendi.

AD hæc Nos alia, & dolenda quidem ; recogitamus, pueros nempe, Christianam



stianam Doctrinam edocendos, non omnes
in civitatibus & oppidis habitare; immo non
paucos in campestribus, animalium custodiæ
addictos, rusticam sic vitam agere, ut post re-
ceptum salutaris aquæ lavacrum, spirituali
ibi absque educatione enutriti, neque, an
Spiritus sanctus sit, unquam audiērint: adul-
tosque insuper multos intra communitates
occurrere, qui nostræ etiam principaliora
Fidei, summæ scilicet Trinitatis, & Incar-
nationis mysteria ignorent, &, quod magis
lamentabile est, cum ceteris in schola ad-
discere verecundantur. Æternæ idcirco il-
lorum saluti consulere quocunque modo
cupientes, Parochis districtè præcipimus, &
mandamus, ut infra earundem solemnia Mis-
sarum, statim post habitum, ut suprà, sermo-
nem: alta voce. & materno idiomate, po-
pulo universo respondente; quod, & in se-
cunda Missa post Parochum, ut omnino modè
ignorantium malitiæ occurratur, qui Cate-
chismum effugiunt; ac etiam in Oratorijs,
Capellis, & Ecclesijs ruralibus, ubi sacra ce-
lebrari consueverè, celebrantes, adimplere
teneantur, sub pœna suspensionis à divinis,
Episcoporum arbitrio imponenda, saltem
sequentia paulatim cantando edoceant.

Signum S. Crucis.



Mysteria SS. Trinitatis, & Incarnationis.
Symbolum Apostolorum.
Orationem Dominicalem.
Salutationem Angelicam.
Præcepta Decalogi.
Præcepta Ecclesiæ.
Septem Sacra menta.
Actum Contritionis.

Tit. XXXII. De Pœnitentijs, & Remissionibus.

CAPUT III.

Pro Pueris: primò ad Pœnitentiæ Sacramentum, & ad Eucaristiæ Comunionem admittendis, instructiones dantur in Appendice.

Instructiones ad Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, à Pueris primò suscipiendorum, & usum, & cultum pertinentes, breves simul, & claras dabimus in nostri hujus Concilij fine. Ceterum Parochos omnes admonemus, ut illis instruendis sedula



sedula attentione utantur, ne, praxim eos peccata confitendi edocentes, dum erga bonum, quod scire debent, amorem instillant, mali, quod nesciunt, vel minimam indant agnitionem.

APPENDIX.

J N S T R U C T I O . I.

Ad reddendam facilem methodum bene edocendi Christianam Doctrinam.

Cit. Tit. l. cap. IV.

Non est satis dare lac, si modus hoc præbendi ita sit incongruus, ut non serviat lactenti ad desideratum nutrimentum. Hujusmodi incongruentiam, magno animi sui mœrore, Sua Sanctitas, Dominus Noster, comperit fieri iu Instruzione Doctrinæ Christianæ, Pueris tradi solita: quandoquidem, tametsi Parochi non defint officio suo quoad substantiam in subministrando lacte Christianæ Pietatis, instruendo pueros Doctrinâ Christianâ, nihilosecius aliqui Doctrinam hanc docent modo adeò confuso, ineptoque, ut ita ipsimet sint causa, quod



Pueri aut illam non bene , aut saltem modo quodam indigesto , nec absque difficultate , capiant . Quare , ut occurratur huic non levis momenti defectui , visum est necessarium esse , præscribere in hac Instruccióne methodum perquam facilem , & claram , quæ deinceps in omnibus Parochijs servanda sit in edocenda Doctrina Christiana .

I. Diebus Festis , statutis in hoc Concilio Romano , à meridie præter signum campanæ Ecclesiæ Parochialis dari solitum , mox unus , aut duo , magis industrij , ac pij , mittendi sunt , secundum amplitudinem Parochiæ (& in horum defectu Clericus Parochialis) qui pulsantes campanulam obambulent vias , dicendo : *Patres & Matres , mittite vestros filios & filias ad Doctrinam Christianam ; secus , reddetis stri-ans rationem D E O.*

II. Deligantur duæ Personæ adultæ , majori zelo , ac charitate præditæ , cum titulo : *Piscatorum* , quæ Virgam manu gestent , atque circumneant ad congregandos , cum quadam animi affabilitate , pueros & pueras ad Doctrinam Christianam , quibus concedit Sua Sanctitas centum dierum Indulgentiam in forma consueta Ecclesiæ ,
pro



pro singulis vicibus, quibūs hoc pietatis exercitium fecerint, exhortatūrque ad hocce exercitium, oppidō sanctum, etiam Nobiliores, magisque conspicuas Personas ejus loci, ut ita faciliūs alij permovereantur ad comparendum. In defectu laicorum, supplebunt Clerici, & Sacerdotes Parochiæ: eritque eorundem officium curandi, ut Pueri tempore hujus exercitij cum debita modestia, & absque strepitū in Ecclesia te gerant.

III. Dividuntur in plures classes, secundūm numerum majorem, vel minorem illorum Parochianorum, qui tenentur interesse Doctrinæ; sintque in qualibet classe octo, aut ad summum decem, distributi in modum circuli, atque cuiilibet classi præficitur cum titulo Magistri Sacerdos unus, aut Clericus, aut alia Persona bene versata, & exercitata in Doctrina Christiana, potestque ex pueris ipsis aliquis deputari *Magister*, & quidem unus ex ijs, qui sunt in quarta classe pro tertia; ex ijs, qui sunt in tertia classe pro secunda; & sic ex alijs classibus pro alijs.

IV. Curetur, ut sint minimum quatuor Classes Puerorum, & quatuor Puellarum;



in quarum I. designentur pro scholari-
bus incipientes, doceaturque in cunctis
uniformiter secundum mandatum Cle-
mentis VIII. in sua Constitutione, *Pastoralis*,
de anno 1598. omni alia exclusâ, Doctri-
næ Christianæ Brevis Explicatio à §. E's ne-
tu *Christianus?* usque ad Declarationem
Credo. In II. Classe à Declaratione *Credo*
usque ad *Præcepta DEi.* In III. à *Præceptis*
DEi usque ad *Virtutes Theologicas & Cardi-
nales.* In IV. à *Virtutibus Theologicis & Car-
dinalibus* usque ad finem. Si verò multa
Parochianorum copia sit instruenda, mul-
tiplicantur classes, subdividanturque se-
cundum exigentiam.

V. Fiant tot Schedæ, quot sunt Classes, in
quibus scribatur literis majusculis: *Classis*
Prima, *Classis Secunda*, *Classis Tertia*, *Clas-*
sis Quarta; atque distribuantur cum pro-
portione loca, affiganturque supra eadem
Schedæ eadem, ut quisque nōrit Clas-
sem suam. Præterea in libello quodam
notentur nomina eorum omnium, qui
judicati fuerint apti pro tali, vel tali Clas-
se. Nec sinantur ascendere ex Classe in-
feriori ad altiorem, nisi illi, qui judicio
Magistrorum probè imbuti fuerint noti-
tiarerū, quæ edocentur in Classe inferiori.

VI. Archi-



VII. Archi-Presbyteri, Parochi, Rectores, aut Vicarij Curati, respectivè tenebuntur assistere, dirigere ac ordinare has omnes dispositiones. Atque ut fiant debito cum ordine, decore, ac fructu, satagent esse toti in omnibus, & toti in singulis Clas-sibus suprà dictis; curéntque ad manum habere, qui ipsos coadjuvent, atque si Clerici vel Presbyteri fuerint negligentes, informent de hoc eorundem Episcopos: quòd si tacuerint, illorum culpa recidet in ipsis summet damnum.

VIII. Obligantur frequentare Scholam Doctrinæ Christianæ mares à septimo ætatis anno usque ad decimum quartum, & fœminæ à septimo usque ad duodecimum; & si Patres, aut Matres, filios & filias, ac Patresfamilias famulos, & mercenarios mittere neglexerint, iij post tertiam & quartam monitionem, à proprijs Parochis factam, ob hunc neglectum supponantur Interdicto Personalí à proprio Parrocho ad prudens Episcopi arbitrium. Si verò Parochi fuerint conniventes, & indulgentes, ipsimet poenæ subjacebunt negligentiae aliorum debitæ.



VIII. Porrò si reperiantur adulti, qui igno-
rarent principaliora Fidei nostræ myste-
ria, articulosque magis necessarios ad
consequendam æternam salutem, mane-
ant etiam ijdem adstricti, sub poena Inter-
dicti ab ingressu Ecclesie, ad arbitrium
tamen propriorum Episcoporum, ad com-
parendum tempore Catechismi, aut bre-
vis Instructionis. quam facient Parochi,
sicut dicetur n. x., post Evangelium Mis-
sæ Parochialis, aut Missæ Capellanorum.
Exhortamur idcirco omnes & singulos,
tam viros, quam mulieres, ut compa-
reant in Ecclesia tempore hujus Sancti
Exercitij integræ Doctrinæ Christianæ;
cuin hac tamen animadversione, ut mu-
lieres occupent locum distinctum in Ec-
clesia à viris prorsus separatum; conce-
ditque eadem Sua Sanctitas *centum die-
rum Indulgentiam* ijs, qui interfuerint, &
centum ijs, qui docuerint.

IX. Exercitium edocendæ Doctrinæ, uni-
uscujusque Classis, duret mediâ horâ at-
que ideo quisque Parochus cûret habere
ad manum clepsydram pro sua directione.
Finita horâ mediâ collocentur pueri &
puellæ non jam in modum circuli, sed ita,
ut pars una sit facie observa alteri in fa-
ciem,

ciem, siatque altera mediâ horâ dispu-tatio, quæ in hoc consistit, ut puer unus interroget alterum, ac similiter puella una alteram: atque si erret, corrigatur à socijs magis exercitatis in eadem Classe.

X. Finita hac quoque disputa-tione, fiat Instructio brevis, quam mandavimus fieri om-ni die festo post Evangelium Missarum Parochialium; præcinanturque à duobus paulatim & distinctim, re-spondentibus singulis Paro-chianis, in Ecclesia præsen-tibus, sequentia in lingua vulgari: videlicet

Suprà Tit. 1.

Cap. V.

1. Signum S. Crucis.
2. Credo.
3. Oratio Dominicalis.
4. Salutatio Angelica.
5. Præcepta Decalogi.
6. Præcepta Ecclesiæ.
7. Septem Sacra-menta.
8. Actus Contritionis.

XI. Postremò recitentus Litaniæ R. Virginis cum Oratione posita in fine Doctrinæ Bellar-



Bellarmini; sicuti etiam ante initium prædictorum Exercitiorum dicendæ sunt consuetæ Orationes ab eodem præscriptæ.

XII. Atque ut hæc omnia ad singulorum notitiam perveniant, mandatur Parochis & Curatis, ut accepto Conciliō, hæc ipsa promulgent inter Missarum Parochialium solemnia tribus diebus festis; ac præterea bis in anno, nempè primâ Dominicâ mensis Januarij, & Dominicâ in Albis: ac pro singulis vicibus, quibus hæc aut ex toto, aut ex parte observare neglexerint, corriganter & puniantur ad arbitrium suorum Episcoporum; uti & alij Ecclesiastici, qui destinati à Parochis officium ipsis præscriptum & assignatum, aut recusaverint, aut non adimpleverint. In tertia Sessione Concilij Romani 29. Aprilis 1725.

*F. A. Archiepisc. Episc. Abellinens.
Secretarius Concilij.*



anno IV J. M. 1725
sum. Boli. 100
- 1000

RO-

ROBERTI
BELLARMINI
POLITIANI, & Soc. JESU,
S. R. E. CARDINALIS.

CHRISTIANÆ
DOCTRINÆ

Brevis Explicatio,

Jusli SS.D.N.CLEMENTIS VIII.

Pont. composita, revisa & approbata à Congregatione Reformationis, ut sublata modorum docendi, eandemque discendi varietate, posthac unus, idemque modus docendo, & discendo ab omnibus teneatur.

Quam etiam in Concilio Romano
Anno 1725. celebrato, SS. D. N.

BENEDICTUS
PAPA XIII. Retinen-
dam mandavit.

*Ex Italico Latine reddita, pau-
culis mutatis, & additis, afferisco **
notatis.

LABACI, Formis J.G. Mayr, Incl. P.C.T.



CLEMENS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

PAstoralis Romani Pontificis solicitude in eam præcipue curam incumbere debet, ut Christifideles pueri Catholicam Doctrinam facile edoceantur, ut in illis uno, eodemque tempore, Christianæ fidei cognitio, ac divinorum observantia præceptorum, indies crescat. Cum itaque, sicut accepimus, plures Doctrinæ Christianæ libellos, a varijs personis



compositos, diversam ordinum,
verborumque seriem continen-
tes, emanarint, ita ut in docen-
do, & discendo, non modica or-
ta sit difficultas, atque varietas.
Nos huic malo occurrere cupi-
entes novum ejusdem Doctrinæ
Christianæ libellum per dilectū
Filiū ROBERTUM BEL-
LARMINUM, Presbyterum
Societatis Jesu, de mandato no-
stro conscriptum, ac in * duas
partes divisum, à dilectis Filijs,
Reformatoribus, in Congrega-
tione Reformationis nostræ de-
putatis, diligenter examinari
mandavimus. Cūmque libel-
lum hujusmodi omnino absolu-
tum, & à prædicta Congrega-
tione comprobatum, in lucem
edi,

edi , & typis tradi mandaverimus, ut posthac unus, idemque modus docendo , & discendo Christianam Doctrinam ab omnibus teneatur, Motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione, nostris dilectis Filiijs, Confratribus Confraternitatis Doctrinæ Christianæ de Urbe , qui , ut etiam accepimus, multis abhinc annis in ipsa Urbe , & extra , in diversis locis Doctrinam hujusmodi docere consueverunt, praedictum novum Doctrinæ Christianæ libellum, ut præfertur, examinatum, & approbatum, auctoritate nostra imprimi facere , quodque nemo unquam, tam in alma Urbe, quam in toto statu nostro



Ecclesiastico , libellum hujusmodi sine expressa ipsorum Confratrum , seu Officialium ejusdem Confraternitatis licentia imprimere possit , ad Decenium proximum auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus & indulgemus .

Inhibentes propterea librorum Impresoribus , & Biblopolis in ditione nostra Ecclesiastica consistentibus , sub indignationis nostræ & amissionis librorum , necnon quingentorum ducatorum auri de Camera , pro una Cameræ Apostol. , pro alia denunciatori , seu accusatori , & pro reliqua tertia parte Cameræ prædictæ applicanda , eo ipso incurrienda poena , ne libellum



Doctrinæ Christianæ hujusmodi sine Officialium Societatis prædictæ pro tempore existentium, licentia etiam in scriptis obtentâ, imprimere, aut impressum vendere, seu venalem habere, vel proponere audeant, seu præsumant. Mandantes dilecto Filio nostro in Urbe Vicario, & ejus Officialibus in dicta Urbe, & ejus districtu, tam in publicis, quam in privatis scholis, & Ecclesijs, alios Doctrinæ Christianæ libellos adhiberi, imprimi, & jam impressos vendi, seu venales haberi, vel proponi minimè permittant, quin immò sub pœnis prædictis contradictores quoscunque ad omnia supradicta inviolabiliter observanda auctori-



tate nostra cogant, & compellat.

Hortamus autem in Domino
Venerabiles Patriarchas, Archi-
Episc., Episc. & dilectos Filios
eorum Vicarios, nec non Abba-
tes, Parochos universos, ubi-
que lorum existentes, & alios,
ad quos spectat, ut quantum
per eos fieri poterit, in docendo
Christianam Doctrinam in eo-
rum quisque Ecclesijs, Diœce-
sibus, & Parochijs respectivè, li-
bellum hujusmodi, ut præfertur,
approbatum, & jussu nostro edi-
tum, recipiant & adhibeant: nec
non recipi, & adhiberi curent,
ac faciant.

Dilectis verò Filijs nostris, &
Sedis Apostolicæ Legatis, Vice-
Legatis, Gubernatoribus, &
alijs

alijs Statūs nostri Ecclesiastici
Officialibus, per præsentes in-
jungimus, ac respectivè manda-
mus; ut pœnas prædictas in
contravenientes, quando &
quoties requisiti fuerint, irre-
missibiliter exequantur. Decer-
nentes irritum & inane, quic-
quid secus super his quovis mo-
do contigerit attentari. Non
obstantibus constitutionibus, &
ordinationibus Apostolicis, cæ-
terisque contrarijs quibuscum-
que. Dat. Ferrariæ sub Annu-
lo Piscat. die xv. Julij 1598. Pon-
tificatūs nostri anno septimo.

Marcellus Vestrius Barbianus.

* Nota, alteram libelli partem esse ejusdem
Bellarmini Doctrinæ Christianæ copiosam,
seu latiorem explicationem.



O R A T I O
*Dicenda ante explicatio-
 nem Doctrinæ Christianæ.*

Actiones nostras quæsumus,
 Domine, aspirando præ-
 veni, & adjuvando prosequere;
 ut cuncta nostra Oratio, & Ope-
 ratio à te semper incipiat, & per
 te cæpta finiatur. Per Christum
 Dominum nostrum, Amen.
 In nomine Patris, & Filij, & Spi-
 ritus Sancti, Amen.

In fine.

A Gimus tibi gratias Omnipo-
 tens DEUS, pro univerlis
 Beneficijs tuis. Qui vivis, &
 regnas in sæcula sæculorum,
A M E N.

DOMINUS



DOCTRINA CHRISTIANA BREVIS,

Ut possit facilè memoriæ mandari.

*De fine Christiani, & de
signo Sanctæ Crucis.*

Magister. Esne tu Christianus?

Discipulus. Sum per DEI gratiam.

M. Quis dicendus est Christianus?

D. Ille, qui profitetur Fidem, & Legem Christi.

M. In quo consistit præcipue Fides Christi?

D. In duobus mysterijs præcipuis, quæ comprehenduntur Signo Sanctæ + Crucis, nempe in Unitate, & Trinitate DEI; & in Inarnatione & morte Nostri Salvatoris.

M. Quid sibi vult Unitas, & Trinitas DEI?

D. Idem



D. Idem: quod in Deo sit una sola Divinitas, vel essentia & natura Divina, quae tamen subsistit in tribus Personis Divinis, quae vocantur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

M. Cur sunt tres Personæ Divine?

D. Quia Pater non habet principium, nec procedit ab altera Persona. Filius procedit à Patre; & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio.

M. Cur haec tres Personæ Divine sunt unus solus Deus?

D. Quia habent unam eandemq; essentiam, unam eandemq; potentiam, unam eandemq; sapientiam, & unam eandemq; bonitatem.

M. Quid sibi vult Incarnatio, & mors nostri Salvatoris?

D. Idem: quod Filius Dei, id est, secunda Persona Sanctissimæ Trinitatis, sit Factus homo, sitque mortuus in Cruce ad nos salvandos.

M. Quomodo haec duo mysteria comprehendantur Signo Sanctæ Crucis?

D. Quia signum Sanctæ Crucis ✕ formantes, primum attolimus manum dexteram, & frontem tangimus, dicendo: In nomine Patris, dein pectus, dicendo: & Filij: denique attolimus dexteram, & finistro humero

 humero ad dexterum progredimur, di-
cendo: & Spiritu Sancti. Amen.

M. Quomodo ergo significatur hic primus my-
sterium Santissimae Trinitatis?

D. Quia illa vox (*In nomine*) significat uni-
tatem: aliæ voces significant Trinitatem.

M. Edisse, quomodo significatur secundum
mysterium?

D. Figura  Crucis repræsentat mortem
Salvatoris, qui postquam factus est homo,
ac docuit viam salutis doctrinâ, exem-
pto, & miraculis, mortuus est in sancto
ligno Crucis.

Explicatio Credo.

M. Quæ est regula credendi?

D. Est Symbolum Apostolorum, quod vul-
go dicitur *Credo*.

M. Recita *CREDO*.

1. Credo in Deum, Patrem Omnipotentem,
creatorem Cœli & Terræ.
2. Et in JESUM Christum, Filium ejus uni-
cum, Dominum nostrum.
3. Qui conceptus est de Spiritu Sancto, na-
tus ex Maria Virgine.
4. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus,
mortuus, & sepultus.
5. Descendit ad Inferos, tertia die resurre-
xit a mortuis.



6. Ascendit ad cœlos , sedet ad dexteram
Dei Patris omnipotentis.
7. Inde venturus est judicare vivos & mor-
tuos.
8. Credo in Spiritum Sanctum.
9. Sanctam Ecclesiam Catholicam : Sancto-
rum Communionem.
10. Remissionem peccatorum.
11. Carnis Resurrectionem.
12. Et vitam æternam. Amen.

M. *Quid comprehendunt summatis hi Articuli?*
D. Totum id, quod præcipue ac expressè
credere oportet de Deo , & de Ecclesia ;
nam primi octo Articuli pertinent ad De-
um , quatuor ultimi ad Ecclesiam.

M. *Explica mihi primum Articulum.*
D. Ego credo firmiter in unum solum De-
um , qui est Pater naturalis sui unici Filij ,
ac simul Pater per gratiam omnium bo-
norum Christianorum , qui ideo vocan-
tur Filij Dei adoptivi . Qui denique est
Pater per creationem omnium crea-
tura-
rum. Atque hic Deus est omnipotens ,
quia potest facere omnia , quæ vult , &
creavit ex nihilo Coelum & Terram , ac
omnia , quæ ijs continentur , id est , uni-
versum Mundum .

M. *Explica Secundum Articulum.*

D. Ego credo etiam in JESUM Christum ,
qui



qui est Filius unicus DEI Patris, qui fuit ab aeterno ab eodem Patre genitus, estque Deus aeternus, infinitus, omnipotens, Creator, ac Dominus noster, sicut Pater.

M. Explica tertium Articulum.

D. Ego credo, quod JESUS Christus non solum fit verus Deus, sed etiam verus homo, qui assumpsit carnem humanam ex immaculata Virgine Maria, per virtutem Spiritus Sancti, atque ita genitus est in terra a Matre sine Patre, sicut in cœlo erat genitus a Patre sine Matre.

M. Explica quartum Articulum.

D. Ego credo, quod JESUS Christus ad redimendum Mundum pretioso Sangvine suo, passus sit sub Pontio Pilato Praefide Judææ, fueritque flagellatus, spinis coronatus, ac Cruci affixus, in qua est mortuus, ac de ea depositus, in Sepulchro novo est sepultus.

M. Explica quintum Articulum.

D. Ego credo, JESUM Christum statim, postquam fuit mortuus, descendisse cum anima ad limbum Sanctorum Patrum, & die tertio, qui fuit Dominicus, resurrexisse gloriosum, & triumphantem.

M. Explica sextum Articulum.

D. Ego credo, quod JESUS Christus, postquam mansit quadraginta dies cum Sanctis



Ecis Apostolis, ut multis apparitionibus stabiliret suam veram Resurrectionem, ascenderit ad cœlum, & ibi sedeat ad dexteram Patris: hoc est, in æquali gloria cum Patre, tanquam Dominus & gubernator omnium creaturarum.

M. Explica mihi septimum Articulum.

D. Ego credo, quod idem Dominus Noster in fine Mundi sit venturus de cœlo cum potestate magna & gloria, sicutque judicaturus omnes homines, dando unicuique præmium, aut pœnam, prout fuerit meritus

M. Explica octavum Articulum.

D. Ego credo in Spiritum Sanctum, qui est tertia Persona Sanctissimæ Trinitatis, & procedit à Patre, & Filio, estque in omnibus, & per omnia æqualis Patri, & Filio; hoc est, aeternus, infinitus, omnipotens, Creator, & Dominus omnium rerum, sicut Pater, & Filius.

M. Explica mihi nonum Articulum.

D. Ego credo pariter, quod sit una Ecclesia, quæ est Congregatio omnium Fidelium Christianorum, qui baptizati credunt, & confitentur Fidem Christi Domini Nostri, atque profitentur Vicarium ipsius Christi in terris esse summum Pontificem Romanum.



M. Quare dicitur hec Ecclesia Sancta, & Catholica?

D. Dicitur Sancta, quia habet Caput Sanctorum, quod est Christus, & multa membra Sancta, ac Fidem, Legem, & Sacra menta Sancta: dicitur Catholica, id est, universalis.

M. Quid significat Communio Sanctorum.

D. Significat participationem orationum, & bonorum operum, quae in Ecclesia fiunt: sicut in corpore humano bonum unius membra participant omnia alia membra.

M. Explica decimum Articulum.

D. Ego credo, quod in Sancta Ecclesia sit vera peccatorum remissio per Sancta Sacramenta, tanquam media; quodque in hac homines, Doemonis filij, & rei pœnae inferni, evadant Filij Dei, & hæredes gloriae Paradisi.

M. Explica undecimum Articulum.

D. Ego credo, quod in fine mundi omnes homines sint resuscitandi ad vitam, sintque reassumpturi eadem corpora, quae olim habebant, fierique hoc DEI virtute, cui nihil est impossibile.

M. Explica Ultimum Articulum.

D. Credo, bonis Christianis paratam esse vitam æternam, plenam omni felicitate,



& liberam ab omni specie mali; è contra infidelibus & malis Christianis paratam esse mortem æternam, refertam omni miseria, & expertem omnis boni.

M. Quid significat *A M E N*?

D. Significat: in veritate sic est.

EXPLICATIO.

Pater noster, & Ave Maria.

M. Quia hæc enim egimus de eo, quod credendum est; volo experiri num scias id, quod sperandum est: scilicet *Pater noster*?

D. Perbene scio, quia hæc est prima oratio, quam didici, quāmque recito omni manè, & omni vesperi unācum *Ave Maria*, & *Credo*.

M. Ergo recita *Pater noster*.

D. *Pater noster*, qui es in cœlis.

1. Sanctificetur nomen tuum.

2. Adveniat regnum tuum.

3. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.

4. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

5. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

6. Et ne nos inducas in temptationem.

7. Sed libera nos à malo. Amen.

M. Quis

 M. *Quis composuit hanc orationem?*

D. Composuit Christus, Dominus noster,
& ideo est excellentior omnibus alijs.

M. *Quid continet Summatim hæc Oratio?*

D. Omne id, quod potest peti & sperari à
Deo: sunt enim septem petitiones: in qua-
rum quatuor primis petimus, ut nobis
largiatur bonum; in tribus sequentibus,
ut nos, liberet à malo. Atque quantum
ad bonum: primo petimus gloriam D[omi]ni.
Secundò summum nostrum bonum. Ter-
tiò gratiam ad hoc obtainendum. Quartò
medium habendi & conservandi dictam
gratiam. Quantum ad malum: petimus,
ut nos liberet, Primò à præterito, Secun-
dò à futuro malo, Tertiò à præsenzi ma-
lo, atque sic ab omni malo.

M. *Explica illas voces, quæ precedunt primam
petitionem: nempe has: PATER NO-
STER, QM ES IN COELIS?*

D. Hæ voces sunt breve procœmulum, in quo
redditur ratio: cur nobis animum &
fidicium addamus ad alloquendum per
orationem Dominum adeò magnum, &
cur speremus orationem nostram exaudi-
tum iri. Hinc dicitur, quod Deus sit Pater
Noster, nempe per creationem & adop-
tionem, & ideo nos tanquam filij ad ip-



psum recurrimus. Adjungitut, quod sit in coelis, tanquam Dominus universi. Et ideo intelligimus, quod possit nos exaudire, si velit; sicut nos speramus, quod velit, cum sit Pater.

M. Explica primam petitionem.

D. Petimus in prima petitione rogamus, ut Deus cognoscatur à toto mundo, atque ita ipsius Sanctum nomen ab omnibus honoretur, & glorificetur, sicuti par est.

M. Explica secundam petitionem.

D. Petimus in Secunda, ut velociter adveniat regnum nobis promissum, id est, ut finitis pugnis, quas habemus cum Dæmone, Mundo, & carne, perveniamus ad æternam beatitudinem, in qua regnaturi sumus cum Deo absque ulla molestia, & labore.

M. Explica tertiam.

D. Petimus in tertia gratiam DEI, cuius auxilio obediamus perfecte sanctis ipsius mandatis; quemadmodum Angeli semper ipso obediunt in cœlo: quia scala, per quam ad regnum DEI, ascendimus, est observantia mandatorum.

M. Explica quartam.

D. Petimus in quarta panem quotidianum non tantum spiritualem, hoc est, verbum DEI, Sacraenta: sed etiam corporalem, id



id est, victum, & vestitum: quia Verbum DEI, quod per Prædicatores proponitur, & legitur à nobis in libris spiritualibus, Sanctaque Sacra menta, præsertim Confessionis Communionis, sunt de se efficacissima media (nisi nos ex parte nostra desimus) ad acquirendam, & conservandam gratiam DEI, de qua egimus in præcedenti petitione, atque victus, & vestitus sunt necessarij ad sustentandam hanc vitam in DEI obsequio.

M. Explica quintum.

D. Petimus in quinta, ut DEUS nos liberet à malis præteritis, id est, peccatis jam commissis condonando nobis debitum culpæ & pœnæ, quod per hæc contraximus. Adjungitur: Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, id est, condonamus offensas nostris inimicis. Siquidem non est conveniens, ut DEUS nobis condonet peccata, quæ sunt offensæ longè maximæ: si nos non velimus condonare injurias nobis factas, quæ sunt offensæ levis momenti.

M. Explica sextam.

D. Petimus in sexta, ut DEUS nos liberet à temptationibus, quæ sunt mala futura, aut non permittendo nos tentari, aut dando nobis gratiam, ut non vincamur.



M. Explica septimam.

D. Petimus in septima, ut DEUS nos liberet à malo præsenti, id est, ab omni afflictione & miseria, atque etiam ab omni vana prosperitate, & dignitate temporali; si prævidet saluti animæ nocituras.

M. Recita nunc Ave Maria.

D. Ave MARIA, gratiâ plena: Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, JESUS. Santa MARIA, Mater DEI, ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis nostræ. Amen.

M. Quis salutationem Angelicam composuit?


D. DEUS ipse: quamvis non per os suum, sed partim per os Gabrielis Archangeli, partim S. Elisabethæ, & partim S. Matris Ecclesiæ.

M. Quare ordinariè recitas post Pater noster Ave Maria?

D. Ut per intercessionem Beatissimæ Virginis facilius impetrem id, quod peto à DEO. Est enim illa Advocata peccatorum, ac plena misericordiæ, atque exaltata est in cœlo supra omnes choros Angelorum, estque DEO gratissima.

M. Invocasne etiam alios Sanctos, ut tibi auxiliemur?

D. In-



D. Invoco Omnes Sanctos, & speciatim
Sanctum mei nominis, ac Sanctum meum
Angelum Custodem.

Explicatio Decalogi, seu decem Præceptorum DEI.

M. Progrediamur jam ad id, quod tenemus fa-
cere amore DEI & Proximi: igitur recita de-
cem Præcepta DEI.

- D. 1. Ego sum Dominus DEUS tuus, non
habebis DEOS alienos coram me.
2. Non affumes nomen Domini DEI tui
in vanum.
3. Memento, ut diem sabbati sanctifices.
4. Honora Patrem tuum, & Matrem tuā,
ut sis longævus super terram, quam
Dominus DEUS tuus dabit tibi.
5. Non occides.
6. Non mœchaberis.
7. Non furtum facies.
8. Non loquēris contra proximum tuum
falsum testimonium.
9. Non concupisces uxorem proximi tui.
10. Non concupisces proximi tui do-
mum, non agrum, non servum, non
ancillam, non bovem, non asinum, &
universa, quæ illius sunt.



M. *Quid complectuntur in se summatis hæc
Præcepta?*

D. Id omne, quod tenemur facere ad amandum DEUM, & Proximum. Quia prima tria Præcepta docent nos, quomodo nos debeamus habere erga D E U M corde, verbo & opere. Reliqua septem instruunt nos, quomodo debeamus facere bonum proximo, neque eidem nocere in corpore, in honore, in re; ne quidem animo, aut corde. Atque ita finis omnium Præceptorum est mandatum charitatis, quo jubemur amare Deum super omnia, & proximum, sicut nosmetipfos.

M. *Declara primum Præceptum.*

D. Initio hujus Præcepti admonet nos Deus, quod ipse sit noster verus, & supremus Dominus: quodque ideo nos obligemur ipsi obedire omni cum diligentia. Præterea præcipit, ut nullum alium DEUM agnoscamus, nisi ipsum solum; in quo peccant infideles, qui adorant creaturas loco creatoris, ac etiam venifici & beneficæ, quæ Dœmonem pro DEO colunt.

M. *Declara secundum.*

D. Secundum Præceptum vetat blasphemias, quæ sunt peccata gravissima, juramenta falsa, aut non necessaria, votorum violationes, ac omnem aliam irreverentiam, quæ verbis DEO irrogatur.

M.



M. Declara tertium.

D. Tertium præcipit observantiam festorum; quæ consistit in abstinentia ab operibus servilibus, ut habeamus tempus nos occupandi in consideratione beneficiorum Divinorum, visitatione Ecclesiarum, recitatione Orationum, lectione librorum spiritualium, auditione officiorum Divinorum, & Concionum, ac exercitio hujusmodi Spiritualium, & sanctorum operum.

M. Declara quartum.

D. Quartum præcipit, ut honoremus Patrem & Matrem, non solum verbis, ijsdem reverentiam exhibendo, aut caput detegendo: verum etiam eisdem auxiliando, & succurrento in ipsorum necessitatibus. Atque hoc, quod dicitur de Patre & Matre debet etiam observari erga alios proximos; tametsi non cum tanta obligatione, quanta erga Patrem & Matrem, qui nobis vitam dederunt, nōsque educarunt multa cum cura & labore.

M. Declara quintum.

D. In quinto præcipitur, ne ullum iniustè occidamus, nec ulli in corpore malum inferamus. Dicitur *iniustè*, quia Judices qui malefactores condemnant ad mortem, & ministri justitiae, qui illis inferunt mor-



tem; sicuti etiam milites in bello iusto,
non peccant vulnerando, aut occidendo.

M. Declara sextum.

D. Præcipit lexum, ne committamus adulterium, id est, peccatum cum uxore alterius. Præterea, ut non faciamus fornicationem, nec aliud peccatum carnale.

M. Declara septimum.

D. Septimū præcipit, ne ullus accipiat rem alterius occultè, quæ acceptio dicitur fur tum; nec apertè, quæ acceptio dicitur rapina: ne faciat fraudes in venditione, emptione, & similibus contractibus. Denique ne damnificet proximum in re aliqua.

M. Declara octavum.

D. In octavo prohibetur falsum testimonium, contumelia, detraction, adulatio, mendacia, ac omne aliud damnum, quod irrogatur proximo lingua

M. Declara duo ultima

D. Præcipit DEUS in postremis duobus præceptis, ne ullus concupiscat uxori, autrem alterius: quia ipse, qui intuetur corda, vult hæc esse sancta & munda non solum exterius, sed etiam interius, ut sumus integrè ac verè justi.





Explicatio Præceptorum Ecclesiæ, & Consiliorum.

M. *Addo Præceptis DE illa pauca, quæ bis addidit Sancta Ecclesia.*

D. Præcepta Ecclesiæ sunt quinque.

1. * Statutos Ecclesiæ Festos dices celebrare.
2. Sacrum Missæ Officium diebus Festis reverenter audire.
3. In Quadragesima, Quatuor temporibus, ac Vigilijs præceptis & Sabbati ab eſu carnium abſtinere.
4. Peccata sua ad minimum ſemel in anno confiteri; & ſemel in anno, idque circa tempus Paſchæ S. Euchariftiam ſumere.
5. A Nuptijs celebrandis abſtinere temporibus vetitis: videlicet à prima Domini- nica Adventūs uſque ad Epiphaniam; & à primo die Quadragesimæ ad Do- minicam in Albis. Decimas Ecclesiæ ſolvere.

M. *Velim edifferas, utrum præcepta, quæ omnes obligant, fint etiam consilia aliqua ad perfectius viendum accommodata?*

D. Sunt tria Consilia, data à Dño Nostro JESU Christo jis, qui cupiunt ad perfeſſio- nem pervenire.



M. Quæ sunt ista Consilia?

D. Paupertas voluntaria; Castitas perpetua;
& Obedientia in omni re, quæ non sit
peccatum.

Explicatio Sacramentorum.

M. Satis egimus de omni eo, quod oportet cre-
dere, sperare & facere; superest, ut agamus
de Sanctis Sacramentis, per quæ tanquam
media acquirimus gratiam DEI. Dic. ergo,
quot sunt Sacra menta?

D. Sunt Septem.

1. Baptismus.
2. Confirmatio, vel Chrisma.
3. Eucharistia.
4. Pœnitentia.
5. Extrema Unctio.
6. Ordo.
7. Matrimonium.

M. Quis ea instituit?

D. JESUS Christus, Dominus Noster.

M. Quem effectum operatur Baptismus?

D. Hunc, quod hominem faciat filium DEI,
& heredem Paradisi; deleat omnia pec-
cata, replete animam gratiâ, & donis spiri-
tualibus.

M.

M. *Quem efficiunt operatur Confirmatio?*

D. Hunc, quod nos confirmet, ac corroboret, ut sine metu profiteamur Fidem Domini Nostri IESU Christi, atque ita nos efficiat veros milites Salvatoris.

M. *Quis est effectus S. Eucharistiae?*

D. Hæc nutrit in anima Charitatem, quæ est vita ipsius, augétaque in ea indies hanc vitam, & ideo datur sub specie panis; quamvis verè non sit panis id, quod apparet esse panis, sed Corpus Domini Nostri IESU Christi: quemadmodum in calice non est vinum id, quod apparet esse vinum, sed verus Sanguis ejusdem Christi Domini Nostri sub specie vini.

M. *Quis est effectus Penitentia?*

D. Hæc remittit peccata post Baptismum commissa, facitq; in DEI amicitiam redire illum, qui per peccatum factus est inimicus DEI.

M. *Quæ requiruntur ad hoc Sacramentum recipiendum?*

D. Oportet primò, habere dolorē de peccatis cum proposito ea de cetero non committendi. Secundò confiteri omnia Sacerdoti approbato à Superioribus. Ultimò, implere pœnitentiam impositam à Sacerdote.

M. *Quis est effectus Extrema Unctionis?*

D. De-



D. Delet reliquias peccatorum: recreat infirmum, illòque tempore, quo ab infirmitate opprimitur, animam ejus corroborat, ac confortat ad tentationes Dæmonis superandas; demum sanitatem corporis restituit, si ita expediat ad salutem animæ.

M. *Quis est effectus Ordinis?*

D. Confert virtutem, & gratiam Sacerdotibus, & alijs Ministris Ecclesiæ, ut ritè fungantur officijs suis.

M. *Quis est effectus Matrimonij?*

D. Confert virtutem, & gratiam, ut legitime vir & mulier per Matrimonium conjuncti vivant in pace, charitate, atque procreent, & educent filios in Sancto timore DEI, quò habeant gaudium in hac vita, & in altera.

Explicatio Virtutum Theologicarum, & Cardinalium.

M. *Explicatis jam precipnis Doctrinae Christianæ partibus, quæ sunt Credo. Oratio Dominica, Præcepta, & Sacra menta. Placet nunc loqui de virtutibus, & vitijs, deque quibusdam alijs rebus, quæ multam conferunt ad vivendum conformiter voluntati Divina. Edissere ergo, quæ sunt virtutes præcipuae?*

D. Sum



D. Sunt septem, tres Theologicæ, & quatuor Cardinales.

M. Quæ sunt virtutes Theologicae?

D. Fides, Spes, & Charitas.

M. Quare vocantur Theologicae?

D. Ideo, quia vox, Theologica significat rem, quæ respicit, aut spectat ad DEUM.

M. Quomodo ergo Fides Deum respicit?

D. Quia operatur, ut nos credamus omnia ea, quæ DEUS revelavit Sanctæ Ecclesiæ.

M. Quomodo spes Deum respicit?

D. Quia efficit, ut nos ponamus nostram fiduciam in DEO, atque ab ipso speremus vitam æternam; mediante gratia ipsiusmet DEI, ac mediantibus nostris meritis, quæ tamen oriuntur à gratia ipsius.

M. Quomodo Charitas respicit Deum?

D. Quia facit, ut nos DEUM amemus super omnia, & proximum, sicut nosmetipos ex amore DEI.

M. Quæ sunt virtutes Cardinales?

D. Prudentia, Justitia, Temperantia & Fortitudo.

M. Cur vocantur Cardinales?

D. Quia sunt Principales, & veluti fontes bonarum operationum.

M. Explica officia harum virtutum.

D. Prudentia nos facit consideratos & cautos



tos in omni re; ut non fallamur, nec alios fallamus.

Justitia facit, ut reddamus unicuique suum.

Temperantia facit, ut frœnum inijciamus desiderijs inordinatis.

Fortitudo facit, ut non metuamus ullum periculum, nec quidem ipsam mortem, quando DEI obsequium exigit

De Donis Spiritus Sancti.

M. Quot sunt dona Spiritus Sancti?

D. Sunt Septem:

1. Sapientia.
2. Intellectus.
3. Consilium.
4. Fortitudo.
5. Scientia.
6. Pietas.
7. Timor Domini.

M. Quid utilitatis hec dona nobis afferunt?

D. Per hæc virtutes, & Christianæ Vitæ perfectionem consequimur: quia per Timorem abstinemus à peccatis: per Pietatem sumus devoti, & obedientes DEO: per Scientiam erudimur ad sciendam voluntatem DEI: Per Fortitudinem confortamur ad eandem exequendam: Per consilium

com-

commonemur de fraudibus Dæmonis :
 Per Intellectum elevamur ad intelligenda
 mysteria fidei. Per sapientiam sumus per-
 fecti referendo totam nostram vitam, &
 operationes nostras ad gloriam DEI.
 Quia Sapiens cognoscit ultimum finem,
 & ad hunc cuncta dirigit, ac refert.

De Operibus Misericordiæ.

M. Quæ sunt opera Misericordiæ, de quibus in particulari interrogabimur in die Judicij?

D. Sunt Septem.

1. Esurientes pascere.
2. Dare potum sitiensibus.
3. Operire nudos.
4. Hospitio peregrinos suscipere.
5. Ægros invilere.
6. Redimere captivos.
7. Sepelire mortuos.

M. Hac sunt Opera Misericordia corporalis ; suntne alia Opera Misericordia Spiritualis ?

D. Sunt itidem septem, nempe.

1. Ignorantes docere.
2. Dubitantibus recte consulere.
3. Solare mœstos.
4. Errantes corrigere.
5. Offensam remittere.



6. Ferre patienter injurias.

7. Pro vivis & defunctis DEUM rogare.

Explicatio Peccatorum.

M. Pervenimus ad explicationem Peccatorum;
edisse, quo sunt species Peccatorum?

D. Duæ, videlicet Peccatum Originale, &
Actuale, quod subdivititur in mortale &
veniale.

M. Quid est Peccatum Originale?

D. Est illud, cum quo omnes nascimur,
quodque in nos, velut hereditas, à pri-
mo Parente nostro Adamo descendit.

M. Quomodo deletur hoc peccatum?

D. Sancto Baptismo; hinc qui moritur sine
Baptismo, vadit ad limbum, estque in per-
petuum gloriâ Paradisi privatus.

M. Quid est Peccatum mortale?

D. Est illud, quod committitur contra Cha-
ritatem DEI, aut proximi: diciturque
mortale, quia privat animam vita ipsius
spirituali, quæ est gratia DEI.

M. Quomodo remittitur hoc peccatum?

D. Sancto Baptismo, quandō homo bapti-
zatur in ætate, in qua habet peccatum
actuale; aut Sacramentō Pœnitentiæ, si-
cut suprà dictum est. Et qui moritur in
peccato mortali ad æternas inferni pœ-
nas damnatur.

M. Qui d



M. Quid est Peccatum Veniale?

D. Est illud, quod non est contra charitatem, neque privat animam gratiam, neque facit team inferni: verum nihilominus displicet DEO, quia non est conforme ipsius voluntati, atque minuit fervorem charitatis: ideoque oportet pro hoc satisfacere, aut in hoc mundo, aut fatispati in Purgatorio.

M. Quot sunt vitia capitalia, ac veluti fontes eundem peccatorum?

D. Sunt Septem, atque singulis est opposita virtus contraria.

1. Superbia, cui est contraria Humilitas.
2. Avaritia, cui est contraria Liberalitas,
3. Luxuria, cui est opposita Castitas,
4. Ira, cui est opposita Patientia.
5. Gula, cui est opposita Abstinentia.
6. Invidia, cui est opposita Charitas fraterna.
7. Accidia, cui opposita est Diligentia in Divino obsequio.

M. Quot sunt peccata in Spiritum Sanctum?

D. Sunt Sex.

1. Desperatio de salute.
2. Praesumptio citra meritum salutem consequendi.
3. Agnitus veritatis impugnatio.



4. Gratiae alteri datae invidentia.
5. Obstination in peccatis.
6. Impenitentia finalis.

M. Quot sunt peccata in calum clamantia?

D. Quatuor.

1. Homicidium voluntarium.
2. Peccatum carnis contra naturam, quod Sodomiticum vocari solet.
3. Oppressio pauperum.
4. Merces operariorum defraudata.

De Quatuor Novissimis, & de Rosario.

M. Quot sunt Novissima hominis, de quibus Sacra Scriptura ait: memorare novissimam tua, & in aeternum non peccabis?

D. Quatuor.

- | | |
|--------------|---------------|
| 1. Mors. | 3. Infernus. |
| 2. Judicium: | 4. Paradisus. |

M. Quale exercitium habes ad conservandam devotionem?

D. Recito Rosarium Beatae Virginis, aut meditor quindecim Mysteria hujus Rosarij, quæ complectuntur vitam Domini Nostri IESU Christi.

M. Qua sunt 15. Mysteria Rosarij?

D. Sunt quinque gaudiosa.



* *Ad singulas Decades, cui libet Ave Maria post nomem IESU adiiciatur.*

1. * *Quem Virgo concepisti.*
2. *Quem visitando Elisabeth portasti.*
3. *Quem Virgo genuisti.*
4. *Quem in Templo praesentasti.*
5. *Quem in Templo invenisti.*

Et post bac singula, S. Maria, Mater Dei, ora pro nobis &c.

Quinque alia Dolorosa.

1. * *Qui pro nobis Sanguinem sudavit.*
2. *Qui pro nobis flagellatus est.*
3. *Qui pro nobis spinis coronatus est.*
4. *Qui pro nobis crucem bajulavit.*
5. *Qui pro nobis crucifixus est.*

Ultima quinque Gloriosa.

1. * *Qui resurexit a mortuis.*
2. *Qui ad cœlum ascendit.*
3. *Qui Spiritum Sanctum misit.*
4. *Qui te in cœlum assumpsit.*
5. *Qui te in cœlis coronavit.*

M. * *Cur in singulis Rosarij partibus repetimus quinquies Pater Noster, & post singula Pater Noster decies Ave Maria?*

D. * *Quinquies repetimus Pater Noster in memoriam quinque vulnerum Christi; decies Ave Maria, ut in mentem revoce-*
mus



mus decem Præcepta DÉI, quòd ea fideli-
ter servemus.

M. * Quomodo recitas tertiam tantum Rosarij partem?

D. * Quinque decadibus Rosarij adiicio sextam, & eadem mysteria in binis Ave Maria repetō: dein subijcio semel Pater Noster, ter Ave Maria, iterum semel Pater Noster, & concludo cum Credo. Aliqui tamen incipiunt à Credo.

M. * Cur in tercia Rosarij parte dicuntur 63 Ave Maria?

D. * Quia juxta communem opinionem Beata Virgo vixit in terris 63. annis.

F I N I S.

ORATIO dicenda ad pulsum
Ave Maria, manè, meridie, & vesperi.

Ad primum signum.

Angelus Domini nunciavit Mariæ; & concepit de Spiritu sancto. Ave Maria, &c.

Ad secundum signum.

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Ave Maria, &c.

Ad tertium signum.

Et VERBUM CAROFACTUM EST, & habitavit in nobis. Ave Maria, &c.



Oremus.

A Gimus tibi gratias omnipotens DEUS,
pro univeris beneficijs tuis. Qui vivis
& regnas in sæcula sæculorum. Amen.

* SS. D. N. BENEDICTUS PAPA XIII.
Cultui in Divam Virginem, DEI Genitricem
MARIAM, augendo semper intentus, &c.
voluit, ut omnes, & singuli Christifideles,
qui die una intra quiclibet mensem per an-
num, à se eligenda, verè contriti & con-
fessi, ac sacra communione refecti ad pul-
sum Ave Maria, seu manè, seu meridie, seu
vesperi, solitas preces: *Angelus Domini, &c.*
Ecce Ancilla, &c. Et **VERBUM CARO** &c.
Cuilibet versiculo unum Ave Maria subjun-
gendo, flexis genibus oraverint, & pias ad
DEUM preces pro pace & concordia inter
Principes Christianos, extirpatione hære-
sum, & exaltatione Sanctæ Matris Ecclesiæ,
fuderint, Indulgentiam Plenariam, & om-
nium peccatorum remissionē, in perpetuum
duraturam, consequi valeant. Pro alijs ve-
rò per annum diebus singulis, idem SS. D.
N. omnibus & singulis verè contritis, & pre-
ces, ut suprà, ad pulsum Ave Maria oranti-
bus, quoties id fecerint, centum dierum
Indulgentiam clargitur. dato Brevi Romæ
14. Septembris 1724.



Modus orandi post scholas.

Postquam Pueri ordine genua ad orandum flexerint, Magister apud eos genuflexus, incipiat in hunc modum.

Filiij mei, elevate mentem in DEUM, & orate devoto affectu. Formate signum Sanctæ Crucis, dicendo: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

Omnes simul.

Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.

Duo Pueri.

P. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.

Omnes.

P. Et renovabis faciem terræ.

Magister.

Oremus:

DEUS, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Duo



*Duo Pueri cantent Litanias,
omnes alij respondeant.*

K Yrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Pater de Cœlis DEUS, miserere nobis.

Fili Redemptor mundi DEUS, miser. nobis.

Spiritus Sancte DEUS, miserere nobis.

Sancta Trinitas unus DEUS, miserere nobis.

Sancta MARIA, Ora pro nobis.

Sancta DEI, Genitrix, ora.

Sancta Virgo Virginum, ora.

Sancte Michaël, ora.

Sancte Gabriel, ora.

Sancte Raphaël, ora.

Omnes Sancti Angeli, & Archangeli, orate
pro nobis.

Omnes Sancti Beatorum Spiritum Ordines
orate pro nobis.

Sancte Joannes Baptista, ora.

* Sancte Joseph, ora.

Omnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ, ora-
te pro nobis.

Sancte Petre, ora.

Sancte Paule, ora.

Sancte Andrea, ora.



Sancte Jacobe,	ora.
Sancte Joannes,	ora.
Sancte Thoma,	ora.
Sancte Jacobe,	ora.
Sancte Philippe,	ora.
Sancte Bartholomæ,	ora.
Sancte Matthæ,	ora.
Sancte Simon,	ora.
Sancte Thaddæ,	ora.
Sancte Mathia,	ora.
Sancte Barnaba,	ora.
Sancte Luca,	ora.
Sancte Marce,	ora.
Omnes Sancti Apostoli & Evangelistar, orate;	
Omnes Sancti Discipuli Domini, orate.	
Omnes Sancti Innocentes, orate.	
Sancte Stephane,	ora.
Sancte Laurenti,	ora.
Sancte Vincenti,	ora.
Sancti Fabiane & Sebastiane, orate.	
Sancti Joannes & Paule, orate.	
Sancti Cosma & Damiane, orate.	
Sancti Gervasi & Protasi, orate.	
Omnes Sancti Martyres, orate.	
Sancte Silvester,	ora.
Sancte Gregori,	ora.
Sancte Ambrosi,	ora.
Sancte Augustine,	ora.
Sancte Hieronyme,	ora.



- Sancte Martine,** ora.
Sancte Nicolae, ora.
Omnes Sancti Pontifices & Confessores,
orate.
Omnes Sancti Doctores, orate.
Sancte Antoni, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Dominicæ, ora.
Sancte Francisci, ora.
Omnes Sancti Sacerdotes & Levitæ, orate.
Omnes Sancti Monachi & Eremitæ, orate.
Santa MARIA Magdalena, ora.
Santa Agatha, ora.
Santa Lucia, ora.
Santa Agnes, ora.
Santa Cæcilia, ora.
Santa Catharina, ora.
Santa Anastasia, ora.
Omnes Sanctæ Virgines & Viduæ, orate.
Omnes Sancti & Sanctæ DEI, intercedite
pro nobis.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Parce
nobis Domine.
Agnus DEI, &c. Exaudi nos Domine.
Agnus DEI, &c. Miserere nobis.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe clicson.
Kyrie clicson.



Magister.

Recitemus modò Pater noster, Ave Maria, Credo, ac dein Salve Regina: ac rogemus Dominum DEUM nostrum, ut dignetur exaltare Sanctam Ecclesiam, unire Principes Christianos, dissipare Hæreses, evellere errores, dilatare per universum Mundum Fidem Catholicam, eradicare vitia, & virtutes stabilire; commendemus etiam DEO Christianæ Doctrinæ opera, atque rogemus suam Divinam Majestatem, ut largiantur cunctis efficax gratiæ auxilium, quò in hac vita eidem sincerè in gratiæ sua usque in finem servientes, valeamus dein in altera frui gloria æterna. *Omnies. Amens*

Omnies simul, Magistro eisdem dirigente.

Pater noster &c. Ave Maria &c.

Credo in DEUM &c.

Salve Regina &c. O Dulcis Virgo Maria.

¶. Ora pro nobis Sancta DEI Genitrix.

¶. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio Ad S. Angelum Custodem.

Angele DEI, qui custos es mei, me tibi commissum, pietate superna hodie illumina, custodi, rege, & guberna. Amen.

FINI-

* *Finita Doctrina Christiana.*

Duo præcinant paulatim & distinctim , re-
spondentibus singulis Parochianis in Ec-
clesia præsentibus], sequentia in lingua
vulgari, juxta §. X. Instrucionis I.

1. Signum S. Crucis.
2. Credo.
3. Pater Noster.
4. Ave Maria.
5. Præcepta Decalogi.
6. Præcepta Ecclesiæ.
7. Septem Sacra menta.
8. Actum contritionis, infra Instruct. 2.
part. 3. positum..


Litaniæ Beatæ Virginis.

Kyrie eleison &c.

Agnus DEI , qui tollis &c. Misere nobis.

Oremus.

Gratiam tuam , quæsumus Domine , &c.
ad resurrectionis gloriam perduca-
mur. Per eundem Christum Dominum
Nostrum. Amen.



Oremus.

Pletatate tua , quæsumus Domine , nostrorum solve vincula peccatorum , & intercedente Beata MARIA cum Omnibus Sanctis tuis , nos famulos tuos , benefactores , atque loca nostra in omni sanctitate custodi , omnesque consanguinitate , affinitate , atque familiaritate nobis coniunctos , à vitijs purga , virtutibus illustra : Pacem & Salutem nobis tribue : hostes visibiles & invisibiles remove ; carnalia desideria repelle , äerem salubrem , & fertilitatem indulge ; amicis & inimicis nostris charitatem largire , atque civitatem (oppidum) (Pagum) istam cum omnibus in ea habitantibus , ab omni peste , infideliumque feritate , & potentia , illæsam conserva , & omnibus fidelibus vivis & defunctis , in terra viventium vitam & requiem æternam concede : & Pontificem nostrum N. * & Episcopum nostrum N. ac omnes Prælatos : * Imperatorem nostrum N. & cunctum populum Christianum ab omni adversitate custodi , & benedictio tua sit super nos semper . Per Christum Dominum Nostrum . Amen .



S*  S*

INSTRUCTIO II.

*Pro Puerulis, & Puellulis, primò
ad Sacramentum Pænitentiæ
admittendis.*

INTRODUCTIO.

Cum in aureis Instructionibus, quas D. Carolus Borromæus edidit pro Confessarijs suæ Civitatis, & Diœcesis Mediolanensis, commemoret Sanctus Archiepiscopus: *Sanctam esse consuetudinem, puerulos & puellulas, etiam si quintum, aut sextum ætatis annum necdum excesserint, accersere, & unum post alterum ante Confessorem adducere,*



cere, ut sic incipient paulatim instrui, ac manu quasi in cognitionem, atque usum bujus Sacramenti transferri: Visum est Suæ Sanctitati, SS. D. N. BENEDICTO XIII. esse cum primis salutare, hujusmodi Ministris, ac præcipue Parochis sequentem Brevem Instructionem, in forma Dialogi inter Confessarium & Pœnitentem, de rebus principalioribus Sacramenti Pœnitentiae, quas scire oportet propone-re vocibus perspicuis, & simplicibus, atque adaptatis innocentia, exiguaeque capacitati ipsorum puerorum.



Pars Prima.

De Obligatione confitendi.

Confessarius.

Dic fili: esne unquam confessus?

Pænitens. Pater, non.

C. Nescis, quod omnes Christiani, qui post Baptismum peccarunt, teneantur confiteri?

P. Scio Pater? atque hoc didici in Doctrina Christiana.

C. Visne ergo confiteri?

P. Ita Pater: atque idco desidero scire, quid sit confessio.

C. Confessio est vera & legitima accusatio propriorum peccatorum actualium, facta Sacerdoti, qui tenet locum DEI, ad obtinendam remissionem peccatorum, mediante absolutione sacramentali.

P. Quia in confessione tenetur quisque se acculare de peccatis actualibus, dic mihi: quid sit peccatum actuale?

C. Peccatum actuale est transgressio Praecepti Divini, facta voluntate propriâ.



- P. Quotuplex est peccatum *actus*?
- C. Duplex; nempe mortale, & veniale.
- P. Quid est peccatum mortale?
- C. Peccatum mortale est illud, quod committitur contra charitatem DEI, aut Proximi: diciturque mortale, quia privat animam vita spirituali, quae est gratia sanctificans, & quia per id eadem incurrit reatum poenae æternæ Inferni.
- P. Quid est peccatum veniale?
- C. Peccatum veniale est illud, quod non est contra charitatem, nec privat animam gratiam DEI, nec per id incurrit reatus poenae Infernalis: nihilominus despiciet DEO, quia non est secundum ipsius voluntatem, & legem: dicitur autem veniale, quia, cum sit leve, facile meretur veniam.
- P. Quot modis peccari potest?
- C. Tribus modis peccatur, videlicet cogitatione, verbo, & opere.
- P. Quæ sunt peccata cogitationis?
- C. Peccata cogitationis sunt illa, quæ fiunt mente aut corde: qualia sunt odium, invidia, mala desideria, judicium temerarium, &c.
- P. Quæ sunt peccata verborum?
- C. Sunt illa, quæ fiunt verbis: qualia sunt mendacium, juramentum, detractio, malodictio, blasphemia, &c.
- P. Quæ sunt peccata operis?
- C.

C. Sunt illa, quæ committuntur aut faciendo, quod prohibitum est facere: veluti occidere; furari, &c.: aut omittendo facere, id quod expræcepto tenemur facere: veluti non audire Missam die festo; non jejunare, quando est jejenum de præcepto; damnificare proximum aut in corpore, aut in re sua

P. Quomodo possum cognoscere, num peccaverim?

C. Quando voluntariè, & cum advertentia transgressus es aliquod præceptum Divinum: hoc est, quando fecisti alteri, quod non veles tibi fieri, aut non observasti aliquod Præceptum Decalogi, aut Ecclesiæ, aut commisisti aliquod ex vitijs Capitalibus.

P. Quomodo possum cognoscere, an peccatum sit mortale; an veniale?

C. Si offensa est contra charitatem DEI, aut Proximi in re gravi, & commisisti eam in re gravi cum plena advertentia, & delibera volunta, peccatum est mortale: at si offensa est in re levi (exceptis quibusdam casibus, in quibus levitas materiæ non excusat culpa gravi) aut et si sit in in re gravi, si tamen eam commisisti sine plena advertentia, aut sine plena deliberatione, est peccatum solummodo veniale.



P. Quāndo quis peccat, quām pœnam meretur?

C. Qui facit peccatum mortale, mox perdit amicitiam & gratiam DEI, cessat esse filius adoptivus DEI, ac hæres Paradisi, atque meretur, mox habitare cum lœmonibus in Inferno. Qui verò facit peccatum veniale, non quidem amittit gratiam DEI, attamen intepescit in fervore charitatis: non meretur pœnam æternam Inferni, sed tantummodo temporalem, aut in hac vita, aut in Purgatorio, sustinendam.

P. Quomodo potest quis post commissum peccatum mortale pœnam evadere Interni, & recuperare statum adoptivi Filij DEI, ac rursus mereri gloriam Paradisi?

C. Accusando se de sua culpa, & ritè confitendo peccatum suum Confessario.

P. Quæ sunt mihi præstanta, ut ritè confitear peccata mea?

C. Tria sunt tibi præstanta, antequam accedas Confessarium.

Primo. Oportet, ut examines conscientiam ad revocanda in memoriam peccata.

Secundo. Oportet, ut doleas de peccatis tanquam de offendis, commissis adversus DEUM, summè bonum, ac summè amabilem.



Tertio. Oportet, ut petas veniam cum firmo proposito non peccandi de cetero.

Pars Secunda.

De Examine Conscientiae.


P. **Q**uomodo fit Examen Conscientiae?

C. Oportet, ut te in locum aliquem vel domus, vel Ecclesiæ recipias, ubi solus maneas: & primò quidem DEUM roges, ut tibi largiatur gratiam recordandi omnium peccatorum tuorum. Deinde pensites, an servaveris Præcepta DEI, & Ecclesiæ; atque an fugeris Peccata capitalia, Exempli causâ.

Primò. DEUS præcipit, ut honores Patrem & Matrem. Expende, an debitam obseruantiam exhibueris Parentibus: an ijs obediveris: an eos provocaveris ad iracundiam, &c.

Secundò. Ecclesia præcipit, ut die festo reverenter assistas Missæ. Expende, an omisferis aliqua vice eidein interesse, aut, si ei interfueristi, an interfueris absque attentione, absque devotione, vel absque modestia.

Tertio. Inter Peccata Capitalia unum est ira. Expende, an unquam fueris iratus Proxi-



mo, ac ex odio eidem malum desideraveris; an eidem maledixeris, aut eundem blasphemaveris. Atque hoc ipsum intelligendum est de blasphemis contra DEUM, contra Sanctos, & contra Defunctos.

P. Quantum temporis me oportet impendere Examini Conscientiae ritè faciendo?

C. Est necessarium impendere tantum temporis, quantum impenderes in memoriam revocandæ alicui rei, quæ te urget, ac premit: & si tantum temporis impendiisti, non obligaris amplius cogitare de peccatis.

Pars Tertia.

De Dolore.

P. Postquam revocavi in memoriam per discussionem conscientiae peccata, quid mihi faciendum, ut concipiam dolorem de offensa DEI?

C. Oportet rogare DEUM; quia nullus potest dolere de peccatis, nisi DEUS gratiâ suâ cor moveat: ac præterea oportet attentè considerare, peccatum mortale esse summam injuriam DEO irrogatam, qui ob suam infinitam bonitatem dignissimus est, ut non offendatur, sed ametur super omnia, utque ei ab omnibus creaturis serviatur.



- P. Pater declara mihi melius, qualis debeat esse hic dolor?
- C. Dolor est duplex: dolor perfectus, qui vocatur Contritio, & dolor imperfectus, qui dicitur Attritio.
- P. Qualis est dolor perfectus, qui dicitur Contritio?
- C. Dolor perfectus, vel Contritio, est dolor charitate formatus, quo ex solo amore DEI, ut Summi Boni, dolet peccator, se commisso peccatum, hocque detestatur supra omne malum.
- P. Et qualis est dolor imperfectus, dictus Attritio?
- C. Dolor imperfectus, vel Attritio, est dolor, quo peccator dolet, se commisso peccatum: qui dolor communiter concipitur vel ex metu gehennæ, vel ob jaustum Paradisi, vel ob turpitudinem ipsius peccati.
- P. Quis est melior ex his, dolor perfectus, an imperfectus?
- C. Absque dubio dolor perfectus, id est, contritio, est melior; quia ei, qui elicit Actum contritionis, (in quo etiam includitur voluntas confitendi) a DEO mox remittitur peccatum: at ei, qui elicit Actum Attritionis, peccatum non remittitur sine Sacramento Poenitentiarum;



vis Attritio disponat ad consequendam
in dicto Sacramento remissionem pecca-
torum, & gratiam DEI.

P. Quis ex his duobus doloribus est nece-
farius ad confessionem?

C. Communis moderna opinio est, quod
Dolor perfectus, aut Contritio, sit bona,
non tamen necessaria ad confessionem;
sed sufficiat Dolor imperfectus, seu Attri-
tio, aut suprà explicata, aut ad summum
illa, quæ est conjuncta cum aliquali initio
amoris benevoli erga DEUM; quod huc-
usque manet indecsum à Sancta Sede.

P. Pater, instrue me, quomodo eliciendus
sit actus Contritionis?

C. Lubenter. Hoc modo.

Actus Contritionis.

Dominus meus, ac DEUS meus, quia
tu es summum, infinitum, ac perte-
ctissimum Bonum, te super omnia diligo,
& ideo ex sincero corde paenitet me pec-
calle, doleoque, quod offenderim te tot
peccatis meis. Abominor cuncta, dete-
stisque magis, quam omne aliud malum:
dleo, quia dispicui tibi, ac peto humil-
lime veniam & remissionem. Propono fir-
miter, quod te, cum auxilio gratiæ tuæ,
non amplius sim offensurus.

Si verò pro tuo solatio gratum tibi foret, etiam cantando elicere aliquem actum doloris, en illum in brevi cantillenā!

Offendi te, Dominum meum:

" DEUS meus, mare pietatis, fons amoris!

" Ingratus offendisti te! ah parce!

" Qui solus amore mei mortuus es in Cruce.

" Pœnitet me, summum Bonum, Bonitas

" infinita:

" Non amplius offendam te, non amplius,

" mea Vita!

P. Siquis confiteatur absque dolore de peccatis. & absque proposito non peccandi de cetero, obtinetne remissionem peccatorum?

C Si nec habeat dolorem, saltem imperfectum, id est Attritionem, cum firmo proposito, saltem virtuali non peccandi de cetero, certum est, Confessionem esse invalidam, nec oblinere, taliter confitentem, remissionem peccatorum.

P. Quid potissimum animaduertere debet, qui se parat ad Confessionem?

C Oportet præcunctis alijs animaduertere ut eliciat, & à DEO petat hunc dolorem, atque hoc propositum: atque si quis aliud non agit, quam ut recordetur peccatorum suorum, ac dein accedat Confessoriū, & eidem instar Historiae narrat peccata, non confitetur validè.




- P. Quare est tantopore necessarius dolor cum proposito ad validam Contessionem?
- C. Quia dolor de peccatis cum proposito non peccandi de cetero, est pars absolute necessaria Sacramenti Pœnitentiae.
- P. Quot sunt partes necessariæ hujus Sacramenti?
- C. Sunt tres: Contritio, vel Attritio: Confessio peccatorum cum absolutione Sacerdotis: & satisfactio, id est, poenitentia, quæ persolvitur, post acceptam absolutionem.

Pars Quarta.

De Confessione.

- P. Cum me instruxeris de Dolore, instrue me nunc quomodo oporteat facere Confessionem?
- C. Post factum conscientiæ examen, corde penitus contrito, & humiliato, quin ulli, quantum fieri potest, loquaris, conferes te recta ad confessionale. Genuflexus signabis te signo S Crucis, ac cum devotione orabis Confiteor usque ad verba: *mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa;* & inter dicendum hæc verba, percuties pes tuus ex dolore, quod DEUM offenderis. Dein accusabis te clare, fideliter, ac ve-



recundè de tuis peccatis, prouti eadem in memoriam revocâsti. Exempli causâ:
 * Pater me accuso, quod DEUM non ama-
 " verim, prout eram obligatus: & in particu-
 " lari, quod me fors non converterim ad
 " Divinam Majestatem ab eo tempore, quo
 " cœpi eandem cognoscere, usque ad hoc
 " tempus. Duxi tria mendacia: semel juravi:
 " bis non exhibui reverentiam debitam Ma-
 " tri meæ: semel non audivi Missam die fe-
 " sto. Bis desideravi malum proximo: ter
 " maledixi defunctis; atque hoc mo-
 " do, & hoc ordine, ac cum hac claritate te
 " accusabis de tuis peccatis.

P. Teneórne me accusare de omnibus om-
 nino peccatis in Confessione?

C. De omnibus omnino peccatis mortali-
 bus debes te accusare in Confessione, cum
 specie, numero, & circumstantijs eorun-
 dem; quia illa sunt materia necessaria Sa-
 cramenti Pœnitentiæ.

P. Estne etiam obligatio confitendi peccata
 venialia?

C. Non est obligatio confitendi peccata ve-
 nialia; quia per hæc non amittitur amici-
 tia Dei. Nihilominus si vis tantummodo ali-
 quod ex his confiteri, debes id confiteri
 cum dolore, & proposito non committen-
 di id de cetero.



- P. Si quis omittet confiteri aliquod peccatum mortale, estne Confessio valida?
- C. Si quis omissit confiteri aliquod peccatum mortale ex malitia voluntariè: aut verò ob non ritè factum examen conscientiæ, committit peccatum mortale Sacrilegij, & Confessio est nulla: estque pœnitens obligatus ad repetendam illam confessionem, ac insuper ad se accusandum de commisso Sacrilegio.
- P. At si quis obliviscatur alicujus peccati mortalis sine malitia?
- C. Tunc non peccat; estque ab illo peccato, cuius erat oblitus, simul cum alijs peccatis absolutus. Nihilominus in prima Confessione, quam facit, tenetur se accusare coram confessario de peccato ex oblio-
ne omisso.
- P. Cùm ab illo peccato sit absolutus, cur tenetur id confessario aperire.
- C. Tenetur aperire, ut satisfaciat præcepto de integra peccatorum confessione facienda, prout memoriae occurunt, & si id non aperiat, peccat mortaliter contra hoc præceptum.
- P. Quid significat confiteri peccata cum specie & numero eorundem?
- C. Significat, non sufficere, dicere Confes-
sario: Pater ego peccavi; verum oportet,

ut dicas qualitatem peccati, & quoties id commisisti. Exempli gratiâ: furatus sum semel: blasphemavi bis: mentitus sum ter, &c.

P. *Siquis non recordetur determinati numeri peccatorum, quomodo debet se accusare de peccatis coram Confessario?*

C. *Debet prius expendere numerum maiorem, vel minorem; ac deinde assumere numerum medium, & addere ly circiter. Exempli causâ: aliquis blasphemavit, & ignorat, an oclies, decies, vel duodecies. Tunc poterit dicere: Pater blasphemavi decies circiter.*

P. *Quoniam me instruxisti de specie & numero peccatorum, explica mihi etiam circumstantias eorundem.*

C. *In ordine ad has oportet scire, esse indubitatam obligationem exponendi in confessione non tantum speciem & numerum peccatorum, sed etiam circumstantias, quæ mutant speciem peccati, aut habent annexam aliquam censuram: veluti, si quis furetur rem sacram, quia est Sacrilegium: si quis percutiat Personam Ecclesiasticam, quia præterquam quod committat Sacrilegium, incurrit Excommunicationem. Quantum vero ad circumstantias, quæ speciem peccati non mutant, sed*



sed tantum notabiliter aggravant, duæ sunt opiniones Doctorum: alij affirmant esse obligationem easdem expōnendi in confessione; alij negant.

In summa: hanc regulam teneas, quod pœnitens sit semper obligatus respondere cum veritate, quando Confessarius eundem interrogat in ordine ad ipsius peccata, ut cognoscat statum conscientiae ipsius.

P. Postquam enarravi peccata mea, debeōne aliud dicere Confessario?

C. Postquam te acusasti de omnibus peccatis tuis, prout occurrerunt memoriæ, bonum est subjangere: "Pater me accuso de omnibus alijs peccatis commissis ab eo tempore, quo perveni ad usum rationis; si recordarer, & cognoscerem alia peccata, omnia confiterer: & ideo de omnibus doleo, ac ex corde valde doleo, quod DEUM meum offendiderim; petoque humiliter à te Pater, qui locum Christi tenes, pœnitentiam & absolutionem.





Pars Quinta.

De satisfactione, sive Pœnitentia.

P. *SI Confessarius mihi imponit pœnitentiam gravem, teneorū ego illam acceptare?*

C. *Si tu consideres, quod omne tuum peccatum sit gravissima injuria DEO irrogata, quantumcunque gravis sit pœnitentia, agnosces secundum communiorēm Doctrinam, te semper esse obligatum ad eandem acceptandam; sicuti debes humiliiter excipere omnia monita & consilia, quæ pro salute animæ daturus est tibi Confessorius. Sitamen videres, quod probabilit̄ haud sis valitus illam pœnitentiam explere, debes humiliiter rogare, ut hanc in aliam commutet.*

P. *Debetne Pœnitentia statim expleri?*

C. *Quando Confessarius non determinat tempus, conveniens est, eandem adimplere primo, quo fieri potest, tempore, & antequam quis labatur in aliquod peccatum mortale.*

P. *Adimpleturne Pœnitentia, si hæc expletatur in statu peccati mortalis?*

C. Et



C. Est jam communis doctrina, quod adimplatur quantum ad obligationem a Confessario impositam, ita ut is, qui injunctam sibi poenitentiam explet in statu peccati mortalis, non obligetur ad eandem rursus explendam, quando se reponit in statum gratiae.

P. Estne peccatum mortale, explere poenitentiam in statu peccati mortalis?

C. Est tantummodo peccatum veniale.

P. Si quis omittat explere poenitentiam, quod peccatum committit?

C. Si omittatur poenitentia gravis imposta pro culpa gravi, sicuti jejunia, disciplinæ, orationes longæ, Peregrinationes, & similia, committit peccatum mortale: at si omittatur levis, imposta pro culpa levi, sicuti pauca Parer noster, aut pauca Ave Maria, committit tantum peccatum veniale.

P. Post impositam poenitentiam quid debedo expectare a Confessario?

C. Debes expectare complementum hujus Sacramenti Pœnitentiæ, quod est absolutione a peccatis.



Pars Sexta.

De Absolutione.

P. **Q**uando Confessarius mihi impertit absolutionem, quid debeo ego ex parte mea facere?

C. Tunc temporis oportet te, junctas tenere manus, ac profunda capitis inclinatione renovare, quantum potes, coram DEO dolorem de omnibus peccatis, commissis in vita tua, cum firmo proposito nunquam amplius peccandi; atque rogare Divinam Majestatem, ut, quemadmodum te Confessarius absolvit hic in terris, ita sua infinita Misericordia te habeat absolutum in celis, per merita Passionis sui Divini Filii, & Domini Nostri, ac Redemptoris JESU Christi.

P. Obtenta absolutione, quid superest mihi agendum?

C. Postquam te Confessarius dimiserit, redate te confer ad aliquod Altare, aut alium idoneum locum, ubi genuflexus dic hanc, vel aliam orationem.

ORATIO.

Post Confessionem.

¶ **G**ratias tibi ago, DEUS meus, te laudo, & benedico pro gratia, quam præstasti;



» stitisti mihi, cor meum tangendo, ut con-
 » fiterer peccata mea. Te obsecro per me-
 » rita Sanctissimæ Virginis MARIAE, Dominæ
 » Nostræ, & Advocatæ, ac Omnium San-
 » torum, ut acceptare digneris hanc meam
 » Confessionem: & si ego in aliquo defeci,
 » suppleat tua magna Pietas, ac tua magna
 » Misericordia; ad cujus mensuramigne-
 » ris, amabilissime DEUS meus, habere me
 » plenè, ac perfectè absolutum hic, & in
 » cœlis. Amen.

Conclusio.

DEin mandat Sua Sanctitas omnibus &
 singulis Parochis, ut in docendo pueru-
 los, & puellulas modum ritè confitendi, hac
 Instruktione utantur, atque hanc ijsdem tra-
 dant ea methodo, quæ est præscripta pro
 tradenda Doctrina Christiana; in qua etiam
 à Sua Sanctitate proponitur, qua ratione
 valeant ipsi quoque adulti facilè instrui, si &
 hi comperiantur esse rudes, ac ignorantēs.

• *F.A. Archiepisc. Episc. Avellinens.*
Secretarius Concilij.



INSTRUCTIO III.

*Pro Puerulis, & Puellulis, primò
ad Eucbaristiæ Comunionem
admittendis.*

INTRODUCTIO.

SI Parentum naturalium officium ac munus exposcit, subministrare prolibus necessarium ad vitam conservandam alimen-
tum, ut incrementum capiant in tempora-
nea corporis vita; majori profecto jure po-
stulat idem eorundem, ac spiritualium Pa-
trum Officij ac muneris debitum, quorum
nomine censentur Parochi, & Magistri, qui-
bus cura educandorum puerorum est de-
mandata, ut non fraudent eorundem deside-
rium, quo concupiscunt Panem Cœlestem;
verum omni cura ac studio colloborent, ut
cibo superstantiali Sacratissimi Corporis
Christi, Domini Nostri, ad profectum vite
spiritualis nutriantur, atque Sancte educen-
tur in animæ vita, quam dein æternum in
cœlo victuri sunt; quæ est ultimus eorum



finis, ad quem DEUS eos condidit, & collo-
cavit ad modicum temporis in hoc mundo.
Verissimè ore proprio Christus ipse effatus
est: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendī: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeter-
num.* Jo. 6. v. 51. 52.

Quocirca, ut satis pio eorum desiderio
fiat, qui nondum Cœlesti Pane refe&i, desi-
derant ac exoptant instrui, qua ratione dignè
accedendum ad Divinam Mensam Domini,
atque suscipiendum sit cum fructu Sacramen-
tum Eucharistiae, visum est Sanctitati Suæ,
Domino Nostro BENEDICTO XIII. esse valde
salubre, præsentem edere Instructionem,
scriptam instar Dialogi Parochum inter &
Pueros, atque in hac explicare cum brevi-
tate ac perspicuitate, quid sit Sacramentum
Eucharistiae: quas afferat utilitates hoc di-
gnè suscipienti: quásque dispositiones ex-
poscat in accessu ad Mensam Divinam.

Pars Prima.

De Excellentia Sacramenti Eucharistiae.

Parochus. Habetisne desiderium suscipien-
di Eucharistiam?

Pueri. Ita Domine: ardemus desideriō à
multo tempore.



Par. Quid censetis vos, significari nomine Communionis?

Pu. Nos censemus, ac dicimus, nomine Communionis intelligi Sacramentum Eucharistiae, uti edocti sumus in Doctrina Christiana.

Par. Ast non meministis, vobis suisse dictum, ad suscipiendum hoc Sacramentum, esse necessarium, multa scire?

Pu. Meminimus; atque ideo cupimus, de ijs modò instrui.

Par. Bene habet: estote igitur attenti; equidem ego, ne mentem vestram obram, instruam vos modo pro capacitatem vestra de ijs tantum, quæ sunt magis necessaria, ac majoris momenti.

Pu. Erimus attenti omnes: verum primo loco explica nobis, quid sit Sacramentum Eucharistiae.

Par. Eucharistia, sive Communio, est unum ex septem Sacramentis, à JESU Christo institutis, in quo sub Speciebus Panis & vini, continetur verum Corpus, & verus Sanguis cum anima & Divinitate ejusdem Christi Domini, Salvatoris Nostri.

Pu. Quando fuit à Christo hoc Sacramentum institutum?

Par. In ultima cœna, quam cum suis discipulis sumpsit vesperi pridie, quam pateretur.



Pn. Quare hoc Sacramentum vocatur Eucharistia?

Par. Eucharistia significat *gratirum actionem*: ut erudiamur, nos toties, quoties sumimus Corpus & Sanguinem Christi, optere, eidem gratias agere pro ingenti amore, quem exhibuit patiendo & moriendo pro nobis in Cruce: ac dando nobis semet ipsum in cibum spiritualem animarum nostrarum.

Pn. Quomodo id, quod est panis, convertitur in Corpus Christi, & id quod est vinum, in Sanguinem Christi?

Par. Convertitur virtute verborum, quae profert Sacerdos supra Hostiam, & supra Vinum, quando consecrat.

Pn. Quis tribuit tantam virtutem verbis Consecrationis?

Par. JESUS Christus, qui est Deus Omnipotens, quicunque facit, ac potest facere, quod nobis videtur impossibile.

Pn. Si quis non esset Sacerdos, pronuntiareretque consecrationis verba, consecratne?

Par. Nulla ratione; quia solis Sacerdotibus dedit potestatem consecrandi panem in suum Corpus, & Vinum in suum Sanguinem.

Pn. Quando ergo venit Christus in hostiam, aut in calicem?

Par.



P̄tr. Mox ac Sacerdos finit prolationem
verborum consecrationis.

P̄u. Ergo facta consecratione Hostiæ & Ca-
licis, Hostia non est amplius panis, & in
calice non est amplius vinum?

P̄tr. Omnino non est.

P̄u. Quomodo dicas, non esse amplius pa-
nem, nec vinum; cum videamus colo-
rem; atque alij asleverent, sentiri quo-
que odorem & saporem.

P̄tr. Quamvis post consecrationem rema-
neant species, sive apparentiæ panis & vi-
ni, id est, sapor, odor, & color, his ta-
men non obstantibus, non est amplius
substantia panis, nec vini, sed solum sub-
stantia veri Corporis, & Sanguinis J E S U
Christi.

P̄u. Quomodo possunt remanere species
panis & vini absque eorundem substantia?


P̄tr. Remanent miraculosè; quia sic per bo-
nitatem suam voluit Dominus Deus, &
sic potuit per omnipotentiam suam.

P̄u. Quis nos obligat ad hæc omnia cre-
denda?

P̄tr. Nostra Sancta Fides.

P̄u. Qui non crederet, aut dubitaret de his,
peccaretne?

P̄tr. Sanè peccaret mortaliter, essetque
Hæreticus.



Pu. Qualis est Christus in Hostia, & in Calice consecrato?

Par. Est vivus ac gloriosus Corpore, Anima & Divinitate, sicuti est in cœlo.

Pu. Quando Christus venit in Hostiam, aut Calicem, deseritne cœlum?

Par. Non deserit, sed eodem omnino tempore, quo sedet in cœlis ad dexteram Patris, est in Sanctissimo Sacramento.

Pu. Scire avemus, cur nos non sumimus Communionem suæ speciebus panis & vini, sicuti Sacerdotes?

Par. Sacerdotes communicant sub una & altera specie ob ritus Missæ observantiam, atque ad conficiendum perfectum Sacrificium. Cæterum Laicis, ac ijs, qui non sunt Sacerdotes, satis est communicare solum sub specie panis; quia cum sub hac una specie sit Corpus Christi vivum, cum Corpore est etiam ipsius Sanguis; sicut in calice cum Sanguine est etiam ipsius Sacratissimum Corpus.

Pu. Si quis in Communione accipiat medietatem particulæ, accipitne totum IESUM Christum?

Par. Accipit omnino totum & integrum Christum, quia IESUS Christus tam est in particula, & in quacunque hujus parte, quantumvis modica, integer, quam est in calice, & in hostia magna.

Pu.

P. Estne præter Personam Christi aliquis
alius Sanctus in Hostia, aut in Calice
consecratus?

Par. Non est ullus alius Sanctus, nec Ange-
lus, nec Beata Virgo, sed solus Christus;
& quia Christus est verus Homo, & verus
Deus, cum Persona Christi, qui est Filius
Dei, est quoque per concomitantiam na-
turalem Pater & Spiritus Sanctus.

P. Ergo confitendum est, istud esse ma-
gnum Sacramentum.

Par. Imò est majus, ac excellentius omni-
bus alijs; quia in hoc Sacramento con-
tinetur JESUS Christus, qui est Author
omnium Sacramentorum, & Largitor
omnium gratiarum.

P. Ergo est valde salutare sèpius commu-
nicare.

Par. Sic est absque ullo dubio; quia hoc Sa-
cramentum semper causat multos salu-
tares effectus in eo, qui illud dignè sus-
cipit.

Pars Secunda.

De Effectibus Sacramenti Eu- charistiae.

P. Placeat nos instruere de particula-
ris effectibus hujus Sacramenti.



Pars unus. Primus. Effectus est ; cùm hoc Sacramentum sit cibus & potus spiritualis, ei, qui hoc dignè suscipit, restaurat amissas animæ vires, sicut cibus & potus materialis reparat vires corporis.

Secundus. Auget in anima gratiam sanctificantem, ac fervorem charitatis, & dilectionis erga DEUM & proximum.

Tertius. Replet gusto ac dulcedine Spiritum.

Quartus. Est tanquam antidotum, quo curamur & liberamur à culpis venialibus ac quotidianis.

Quintus. Præservat nos à peccatis mortali bus ; refrænat sensuales carnis motus, nōsque corroborat adversus Dæmonis tentationes.

Sextus. Demum in extremo vitæ nostræ temporalis est nobis tanquam cibus, robur atque viaticum, quo confortatur spiritus noster ad decurrentiam viam in vitam æternam.

Pr. Fòrs præter enumeratos effectus præstat aliam quoque utilitatem Sanctissima Eucharistia ?

Par. Hucusque consideravimus Sacratissimā Eucharistiam, ut Sacramentum, quod sumimus in Sanctissima Communione ; at si etiam consideretur ut Sacrificium, quod offer-



offertur D E O in Sancta Missa, indubie
alios quoque præstat effectus.

Pu. Qui sunt hi?

Par. Sunt plurimi; vobis sufficiat nōsse hos
quinque, qui sunt fines quinque principa-
les, ad quos offertur sanctum Sacrificium.

Primus est. Ad honorandum D E U M , &
protestandum, cum esse supremum &
absolutum Dominum nostrum.

Secundus. Ad gratias agendum D E O pro
omnibus beneficijs acceptis, tum spiri-
tualibus, tum temporalibus.

Tertius. Ad reconciliandum nos in gra-
tiam & amicitiam cum D E O , & ad ob-
tinendum remissionem peccatorum
nostrorum.

Quartus. Ad impetrandum à Divina Mi-
sericordia eas gratias , ac virtutum cha-
rismata , quæ sunt nobis necessaria ad
promovendam majorē ipsius gloriam.

Quintus. Ad satisfaciendum pretiō Sangui-
nis JESU Christi pro pœnis, nostris pec-
catis debitibus; atque ad satisfaciendum
non tantū pro nobis vivis, sed etiam
pro animabus in Purgatorio detentis.



Pars Tertia.

De Dispositionibus necessarijs ad Sanctissimam Communionem.

Pu. Edoce nos dispositiones, quas afferre debeamus ad dignè comunicandum.

Par. Aliquæ dispositiones requiruntur ex parte corporis, aliquæ ex parte animæ.

Pu. Instrue nos, quas dispositiones afferre nos oporteat ex parte corporis.

Par. Principaliter est necessarium, ut quis sit jejonus à media nocte præcedente usque ad tempus communionis; id est, ut nihil, quamvis valde modicum, comedere, vel biberit, ne quidem per modum medicinæ.

Pu. Si esset moribundus, qui comedisset, aut bibisset, possitne communicare?

Par. Posset, si communionem sumat per modum viatici.

Pu. Quæ alia dispositio requiritur ex parte corporis?

Par. Requiritur, ut accedatis communionem summa cum humilitate, ac modestia, quæ reluceant tum in totius corporis habitu, tum in vestitu.

Pu. Instrue nos quoque de dispositionibus ex parte animæ.

Par. Præ omnibus alijs est necessarissimum,

ut



ut anima sit in itatu gratiae DEI, id est, sine peccato mortali.

Pu. Quare est hoc necessarium?

Par. Quia sicuti panis communis non prodest corpori mortuo, ita panis spiritualis Sanctissimæ Eucharistie ex sua institutio-ne non prodest animæ DEO mortuæ.

Pu. Qui communicat in peccato mortali, quid mali facit?

Par. Facit injuriam gravissimam DEO, & Sacratissimo Christi Corpori; quia indignè sumit communionem, & ideo commitit aliud peccatum mortale Sacrilegij.

Pu. Si quis sit in peccato mortali, quid ei faciendum, ut dignè communicet?

Par. Tenetur ante communionem cum vero dolore & proposito confiteri, & absolutionem à peccatis obtinere.

Pu. Ergo satis est confiteri, séque in statum gratiae reponere, volenti accedere Divinam Mensam?

Par. Satis est quidem, ut indignè non communicet; verùm ut hujus Sacramenti effectus ubertim participet, oportet, ut accedat Communionem sine ullo affectu alicujus peccati venialis, ac præterea cum fide, cum timore & amore erga Christum Dominum

Pu. Quomodo oportet nos accedere cum Fide?

Par.



Par. Firmiter credendo, quod in sancta communione sitis sumpturi sub figura sacrae formulæ Corpus IESU Christi, vivi & veri DEI ac Hominis, Omnipotentis Creatoris cœli & terræ : qui est ipsissimus DEI Filius, pro nobis natus ex MARIA Virgine, & pro nobis mortuus in Cruce, ut nos salvaret.

Pu. Quomodo oportet nos accedere cum timore ?

Par. Considerando, quod vos coram DEO sitis vilissimæ creaturæ, ac miseri peccatores, magis meriti habitare in ardoribus Infernalibus, quam accedere Sacratissimam Mensam ; atque ex hoc timoris affectu ingeminabitis toto corde verba illa: *Domine non sum dignus?* Ah Domine, non sum dignus ! ah Domine non sum, non sum dignus !

Pu. Quomodo demum oportet nos accedere cum amore ?

Par. Attenta mente cogitando, quod suscepturni sitis IESUM Christum, ita charum, ita amabilem, ut ille sit magnes, qui omnia corda trahit ad se : illum IESUM, qui venit in cor vestrum, & in animam vestram, ut arctissima unione vobis uniatur, siatque unum vobiscum, & vos fiat unum cum ipso.

Pu. Qui accedit Communionem, tenetur ne ista scire.

Par. Tenetur saltem scire, quid recipiat in hoc Sacramento, nempe, quod recipiat Sanctissimum Corpus Christi vivi, & veri; etiam scire tenetur, necessariam, ad hoc Sacramentum requisitam præparationem.

Pars Quarta.

De Obligatione sumendi Sacra- mentum Eucharistie.

Pu. Estne aliquod præceptum, quod obligat ad sumendam Sanctam Communionem?

Par. Secundum doctrinam hoc tempore communissimam est præceptum Christi, qui dixit: nisi manducaverimus carnem suam, non habebimus vitam æternam.

Pu. Estne aliud præceptum particulare?

Par. Est præceptum nostræ sanctæ Matris Ecclesiæ, quæ mandat omnibus fidelibus Christianis, ut communicent saltem semel in anno in Paschate.

Pu. Quando incipiunt obligare hæc præcepta?

Par. Incipiunt obligare pueros & puellas, postquam pervenerunt ad annos discre-
tionis,



tionis, id est, ad eam ætatem, in qua sunt apti ad discernendum hunc cibum Sacramentalem (qui non est aliud, quam verum Corpus IESU Christi) à pane comuni, & profano ; atque nōrunt accedere debita cum pietate ac religione.

Pu. Sufficitne attigisse septimum ætatis annum ?

Par. De hoc nequit dari regula certa, sed attendenda est eorum capacitas secundum prudens confessarij arbitrium.

Pu. Peccantne illi, qui pervenerunt ad ætatem requisicam pro communione, & non communicant ?

Par. Peccant omnino, si propriâ negligentiâ, aut culpâ non velint instrui, aut non velint communicare; at si deficiant in hoc Pater, aut Mater, aut aliquis alius, qui obligatur eos instruere, tunc peccant hi mortaliter.

Pu. Superestne aliud, de quo nos instruas ?

Par. Supereft practica methodus, quâ sumenda sit communio.

Pars Quinta.

De Sanctissima Communione.

Pu. Quomodo debemus nos vestire, quando imus ad suscipiendum hoc Sacramentum ?

Par.

Par. Solent aliqui Parochi , & Patres spirituales accessueros prima vice ad communionem curare vestiri instar Angelorum, quæ religiosa consuetudo non improbat: verum communiter oportet adire communionem in solito vestitu mundo quidem ac decenti, non tamen superbo, nec vano; ac præterea cum gravitate, ac modestia.

Pm. Nunc edoce nos modum sumendi Sanctissimam Communionem.

Par. Lubenter. Exhortor vos, ut ante Communionem exerceatis sequentes actus, quos restringo ad octo; nempe

Primus est. Vesperi pridie diei Communio-
nis, commendate vos D E O per ora-
tionem, Sanctissimæ Virgini, Angelo
Custodi, & Sancto Nominis vestri, ut
digni efficiamini sumendi JESUM
Christum.

Secundus. Satagit habere ingens deside-
rium uniendi vos Christo Domino.

Tertius. Manè, mox ut surrexeritis, cum
eodem desiderio vos conferte in Eccle-
siam, ubi, quin cum ullo garriatis, per-
fovite aliquas preces.

Quartus. Exin facite Confessionem debi-
ta cum præparatione, ac dolore de
peccatis.



Quintus. Ita dispositi, omni cum devotione adite Altare, ubi genuflexi expectate demissis oculis, ac decussatis ante pectus, id est, appressis pectori in modum Crucis, manibus.

Sextus. Tum renovate, ut vos instruxi, actus Fidei, Timoris, & Amoris erga JESUM Christum, ac firmam spem concipite, quod, mediante sua gratia, sic facturus vos dignos, ut non solum suscipiatis Sacramentum; sed etiam virtutem & effectus ipsius Sacramenti.

Septimus. Dum Sacerdos Sacramentum manu tenens dicit verba illa: *Domine, non sum dignus*, vos corde humiliato conjungite affectus verbis his congruos: atque sub ipsum sumptionis tempus, levate oculos vestros Sacram Particulam versus cum pietate ac modestia, quam recipietis supra linguam, hancque diductis labijs, paululum ultra labia protendetis.

Octauus. Demum sumpta Communione, rursus demittite oculos, & caput, sicque vos ad partem recipite; interea attendite, ut Sacram Particulam mox deglutiatis: casu quo haec palato adhaereret, non hanc digitu, sed solâ lingua

 guā removet, aut, si opus est, modico aquæ hastu.

Pn. Quid supereft post Communionem faciendum?

Par. Saltem per quadrantem horæ abstine-
te, quantum poteritis, exspuitione, sum-
ptione cibi & potūs; ac subsistite genufle-
xi, contemplantes JESUM Christum, qui
intravit pectus vestrum, veluti habitacu-
lum: gratias eidem agite omni cum amo-
re pro tanta gratia, atque eundem roga-
te, ne discedat à vobis, priusquam vos re-
pleat sua Sancta benedictione.

Pn. Quæ oratio dicenda est post Commu-
nionem?

Par. Qui novit legere, ac intelligit latinum,
potest recitare eas orationes, quæ sunt in
libello Officij Beatæ Virginis. Alij pote-
runt dicere hanc valde devotam.

Oratio

Post Communionem.

MI DEUS Amabilissime,
JESU mi, Creator meus,
Conservator meus, Redemptor
meus, Glorificator meus, ego
crea-



creatura tua, credo, non, nisi
Tibi; spero, non, nisi in te; amo,
non, nisi te, & propter te. Te
adoro, tibi gratias ago, te bene-
dico, te oro, ut beatissima præ-
sentia Sanctissimi Corporis tui,
quod absconditum sub specie
panis hodierno die sumpsi, &
mihi incorporavi, ita Sanctifi-
cet animam meam, ut ex nunc
non sentiat deinceps aliam dul-
cedinem praeter te, non deside-
ret aliam consolationem, non
amet aliam pulchritudinem,
non quærat aliud amorem. Ut
deinceps non aliud timeam,
quam offendere te, & displicere
tibi; nec curem aliud honorem,
quam serviendi tibi, & amandi
te semper in hac vita, ut deinde
post

post hanc te videam , te fruar, & amem æternūm in cœlo. Amen.

P*ro*p*ri*a. Facta hac oratione , possumusne exire ex templo ?

P*ar*t*ic*ula. Conveniens est , ut non tam citò exeat-
tis , sed adhuc paulisper subsistatis , atque
gratias agaris Sanctissimæ Virginis , S. An-
gelo Custodi , & vestro Sancto Patrono ,
qui vobis astiterunt ; & hoc facto , ite do-
mum in benedictione Domini ; date ope-
ram , ut illo die solito magis sitis recollecti ,
ac solitarij , atque procul à lusibus , ac
præfertim à malis socijs , utque vacetis
exerciti's devotionis : etiam identidem re-
vocate in memoriam ingens beneficium ,
quod DEUS vobis contulit , & gratias ,
quas vos relatuos esse ex Sanctissima
Communione sperare oportet .

Conclusio.

Postquam igitur sua Sancti-
tas , Dominus Noster , præ-
sentem Instructionem propo-
suit , quam sanè non erit diffici-
lē



lē tradere pueris, qui disponen-
di sunt ad suscipiendum hoc Sa-
cramentum, mandat, præser-
tim omnibus Parochis, oneran-
do insuper conscientias eorum
dem, ut accuratā industriā utan-
tur hac Instruccióne, atque
etiam ea ipsa ratione, qua uten-
dum esse Instruccióne de Con-
fessione præscriptum ac ordina-
tum est: ut ita etiam adulti vale-
ant cum facilitate reportare
emolumen tum, ac profectum,
à Sanctitate sua desideratum.

*F.A. Archiepisc. Episc. Abellinens.
Secretarius Concilij.*

